

UC-NRLF


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS



DE CARMINIS GRAECORUM ELEGIACI ORIGINE ET NOTIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

VENIAMQUE LEGENDI OBTINENDAM

SCRIPSIT

ET DIE X. MAJI A. MDCCCXXXVII

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS JULIUS CAESAR,

HASSO-CASSELLANUS.

MARBURGI MDCCCXXXVII.

Greek Satires

PRAEFATIO.

Non sine dubitatione hanc commentationem in publicum emitto, cujus forsitan inscriptio nonnullis taedium afferet, quae rem promittit tam saepe et a talibus viris recentissimis maxime temporibus pertractatam, ut vix novi aliquid addi posse videatur. Attamen ne quis hanc ob causam totam operam, quam in hoc libello impendi, perditam judicet; nam in re saepe in disputationem vocata eorum, quae variis sententiis vera subesse videntur, collectio non prorsus spernenda est, et forsitan primo ingenii eruditionisque specimini non minus convenit, quam rerum absconditarum indagatio. Et qui accuratiorem his rebus operam dederunt, non suffragabuntur Viris Doctis Monacensibus, quibus in quaestione de historia lyricae Graecorum poeseos publico certamini proposita elegia praetermittenda esse visa est, quippe quae jam satis superque tractata sit. Itaque operae pretium facere mihi visus sum non solum Virorum Doctorum sententiis in medium proferendis, sed tota quaestione, quantum fieri possit, accuratissime atque plenissime denuo tractanda, unde, etiamsi meae sententiae non accedant, eam certe utilitatem capere

possint, qui postea eandem rem investigare velint, ut omnia, quae adhuc explorata sint, collecta et certum habeant fundamentum, in quo niti possint. Opus igitur erat, ut quae alii indagassent, in meum usum converterem, quanquam, ne aliena pro meïs venditare viderer, quibus ea deberem, non dissimulavi; qui vero has res perscrutari velint, me non aliorum auctoritatem esse secutum intelligent. Quam proposui sententiam non ita esse comparatam, ut omnes tenebrae ab hac re remotae sint, nemo me ipso magis sentit; tamen ea ad veterum scriptorum locos et ad verisimilitudinem quam proxime accedere videtur; nonnulla etiam nunc omittenda erant, accuratius exponenda, ubi totam elegiae historiam, ut in animo est, persequi concessum erit, id quod maxime in quintum caput cadit, in quo multa magis indicata, quam ad amussim explanata sunt. — Haec praemonenda erant, ne quis opinione praejudicata ad hunc libellum accederet; jam ipsi causa sua agenda erit.

Reliquum est, ut gratias agam viris de hoc studiorum meorum specimine bene meritis, quae quantum emolumenti ceperint, quum Gottingae versarer, e C. O. Muelleri liberalitate et e Leutschii consuetudine non dissimulo; C. Fr. Hermanno, quo per complures annos usus sum praeceptore, quae debeam, quae meae ipsius operae, vix possum discernere.

Cassellis mense Aprili MDCCCXXXVII.

CAPUT I.

Virorum Doctorum de elegia Graecorum sententiae.

Literarum Graecarum vix ulla pars magis in controversiam vocata est, quam elegia, praesertim eam ob causam, quod, quae recentioribus temporibus huic voci subesse solet notio, ea non in omnia carmina a Graecis hoc nomine appellata cadit, et quod magna carminum pars ei, quod in nomine inest, non videtur respondere, quae res jam veteribus grammaticis disputationis occasionem praebuit, et quanquam recentissimis temporibus multi hac de re quaesiverunt, tamen hunc usque ad diem non est composita. Et pristinis quidem aetatibus plerique, vocis ἔλεγος significatione commoti, princeps elegiae argumentum lugubre fuisse dicere solebant, ad quam opinionem nunc etiam multi revertuntur; haec sententia erat Julii Caesaris Scaligeri, qui tamen sibi ipse non constat, Lilii Gyraldi [1], Gerardi Joannis Vossii [2]; sed accuratius et data opera postea demum hac de re agi coeptum est, et primum quidem a Souchaeo Gallo [3]. Ab originatione verbi ἔλεγος profectus eorum grammaticorum sententiam sequitur, qui id ab ἒ ἒ λέγειν ducunt, unde colligit,

1) De poetarum historia dial. I. Opp. T. II. p. 41, F. ed. Lugd. Bat. 1696

2) Instit. poet. lib. III. cap. XI.

3) Souchay discours sur l'élégie, in Mémoires de l'Acad. des Inscr. T. VII. p. 335 — 397. Lectae sunt hae tres dissertationes annis 1726, 1728 et 1729.

elegiae argumentum lamentationes esse. Quam opinionem praeter Didymi grammatici definitionem et Plutarchi testimonium id maxime confirmare arbitratur, quod elegia ad tibiam cantata sit, musicae funebri propriam, cui accedere ait, quod lamentationes cum tibiarum cantu conjunctae eodem nomine, quo elegiae, ϑρῆνοι sint appellatae, et magna similitudo inter tales naenias, quarum vestigia tam apud Aegyptios et Assyrios, quam apud antiquissimos Graecos reperiantur, et elegiam intercedat. Quae lamentationes licet ad elegiam referendae sint, tamen contendere non audet Souchaeus, eas eadem forma compositas fuisse, qua elegiaca Mimnermi carmina; quam rem decerni non posse censet, quum quo seculo versus elegiacus sit inventus, non sit in aperto. Mimnermo potius, quam Callino, hanc inventionem tribueret, nisi et Pittacum Solonemque his versibus usos esse constaret, et eos primum ad deplorandos mortuos usurpatos esse demonstratum esset [4]). Mimnermum versum elegiacum magis excoluisse atque molliorem reddidisse, forsitan etiam primum elegiam a funeribus ad amorem transtulisse, in quo postea maxime versata sit. Initio enim poetas elegiacos soli luctui et dolori operam dedisse, neque prorsus discessisse ab hac notione elegiam, quum ad amantium dolores transiret, neque vero offendere posse, quod iidem, quum pulchre processissent, eadem poësi uterentur. — In dissertatione altera [5]) Souchaeus profitetur, se antea nonnisi veram elegiam spectasse (*celle qui gémit sur un cercueil et qui peint la tristesse ou même la joie des amants*), ad quam carmina historica, qualia sint Callini et Mimnermi, et didactica, ut Ovidii Fasti, non sint referenda. Distinguit igitur elegiam a carmine elegiaco [6]); illius generis carmina integra

4) Hoc non demonstraverat Souchaeus; nam decerni posse negaverat, num veteres lamentationes, ἔλεγοι, et ipsae forma illa inclusae fuerint.

5) Pag. 352 seqq.

6) Pag. 352: *Tout poëme élégiaque, soit historique ou didactique, ne contient que des événememts, ou des préceptes et n'a guères d'au-*

ex antiquitate non esse servata praeter id, quod in Euripidis Andromache exstet, et Callimachi elegiam in Heracliti mortem. Denique, postquam de singulis Graecorum poetis elegiacis verba fecit, addit [7]), si elegia cum versu elegiaco confundatur, omnes res sine discrimine elegiae argumenta esse posse; versum enim non solum in carminibus lugubribus, sed historicis etiam, philosophicis, bellicis, divinas res, quin etiam mathematicas quaestiones spectantibus locum habere.

Haec in medium proferenda erant, quum ut, quae illa aetate VV. DD. hac de re judicaverint, hoc exemplo accuratius certe et uberius, quam ab aliis factum erat, rem tractante intelligeretur, tum quod usque ad finem seculi decimi octavi nihil huic sententiae oppositum est, ita ut plerique in ea acquievisse videantur.

Prorsus diversa est Boettigeri [8]) sententia, qui ante omnia de origine pentametri quaerendum fuisse censet, eamque ex usu tibiarum geminarum explicare studet. Nimirum tibiarum geminarum in pugnis usum [9]) a Lydis ad Jones translatum effecisse, ut hexametro pentameter adderetur, quorum alterum masculina sive dextra, alterum feminina sive sinistra tibia prosecuta sit [10]). Quam conjecturam confirmari arbitratur antiquissimo distichi elegiaci usu, quum Callinus

tre but que d'instruire; au lieu que l'élégie imite des actions et qu'au sens des Stoiciens elle se propose de purger en nous la tristesse par la tristesse même.

7) Pag. 383.

8) Die Erfindung der Flöte und die Bestrafung des Marsyas, in Wielandi: Attisches Museum. T. I. Fasc. 2. p. 285 sqq., inprimis p. 293 sqq. et 335—339.

9) Provocat ad Herod. I, 17, ubi αὐλοὺς ἀνδρηΐους καὶ γυναικηΐους geminas tibias esse contendit. Cf. etiam Baehr. ad h. l.

10) P. 294: *Gewiss, dieser Wechselgesang des männlichen Hexameters mit dem weiblichen Pentameter konnte nur durch das neu erfundene Accompagnement der männlichen und weiblichen Flöte, die zugleich von einem Flötenspieler geblasen wurden, da erfunden werden, wo man die weibliche Doppelflöte mit der gröberen männlichen Bassflöte zu gatten gelernt hatte.*

et Tyrtaeus carmina bellica composuerint; Mimnermum primum elegiam dulciorem atque molliorem reddidisse carminibus amatoriis et teneris querelis, ita ut ab eo altera carminis elegiaci periodus initium habuerit; tertiae denique originem ad Simonidem referendam esse, qui lugubribus carminibus et epigrammatis eodem metro compositis effecerit, ut quodcunque distichum hexametro pentametroque constans ἐλεγεῖον diceretur. Simonidem ipsum forsitan ideo hoc metro in threnodiis usum esse, quod geminae tibiae jam tum in funeribus usitatae fuerint; verum eum non solum carmina hexametris pentametrisque, sed aliis etiam metris composita, modo lugubris essent argumenti, elegias dixisse videri; ἐλέγους enim nihil esse nisi carmina lugubria. Quum vero Simonides hoc maxime metro in componendis epigrammatis sepulcralibus usus sit, factum esse, ut metrum ipsum, quod postea semper huic usui inserviret, ἐλεγεῖον appellaretur, et tibia ad omnia carmina lugubria transferretur. [11])

In eorum numero, qui de carmine elegiaco scripserunt, sequuntur fratres Schlegelii [12]), eo maxime nomine hac de re meriti, quod notionem, quam olim multi de elegia animis conceperant, quasi lugubre carmen esset, falsam esse ostenderunt, et quid de hujus generis origine et progressu judicandum sit, accuratius explicarunt.

Conradus Schneiderus [13]) primam epici poematis muta-

---

11) Boettigeri conjectura ab omnibus fere, qui hac de re scripserunt, ut ingeniosior quam verior improbata est. Cf. Schneider in dissert. mox accuratius memoranda. p. 13 sqq. Franck. Callin. Append. p. 118—134. Bach in Zimmermanni Schulzeitung. 1829. p. 1093. Osann. Beiträge zur Griech. u. Röm. Literaturgesch. I. p. 11. Ulrici Gesch. der Hellen. Dichtkunst. II. p. 112. — Thiersch in Act. philol. Monac. III, p. 584 eam probat, modo ne quis sibi fingat, longiorem versum ad sinistram, breviorem ad dextram tibiam cantatum esse.

12) Ipsos eorum libros inspiciendi occasio mihi defuit. A. Guil. Schlegel locutus est hac de re in: Vermischte Schriften I. p. 33; Fr. Schlegel in Opp. IV, p. 49. cf. Gesch. der Poesie der Griechen und Römer. I, p. 218.

13) Ueber das elegische Gedicht der Hellenen, in Daubii et Creuzeri *Studien.* IV, p. 1 — 74.

tionem ab Jonibus factam esse censet, quorum studium lyricae poeseos ab eo separandae in hymnis Homericis conspicuum sit; quanquam verum lyricum poema, inquit, oriri non poterat, antequam ex epici carminis forma egressum erat, tum vero variae Graecorum gentes varias sibi formas finxerunt, et Jones quidem distichum elegiacum [14]), quod ab iis solis non modo inventum, verum etiam excultum est, ita ut vel ii, qui ex alia gente oriundi elegiae operam darent, Jonica dialecto uterentur. Lyrica elegiae vis neque in pentametro neque in hexametro inest, sed in utroque ita conjuncto, ut stropha efficiatur, necessaria ea carmini lyrico. Hanc formam toti lyricae Jonum poesi communem fuisse, ex ipsius natura explicatur, in qua propter originem incerti aliquid inest. [15]) E diversis grammaticorum sententiis de elegiae inventore Schneiderus eam ceteris praefert, quae Callinum antiquissimum habet, et etiamsi haec gloria immerito ei tribuatur, tamen inde, quod ille elegiaca forma usus sit, apparere ait, sub Olympiadum initium eam jam extitisse; eundem Jonem fuisse, et his duabus rebus pro fundamento utendum esse. — Elegiae historia Schneidero optime in tres partes dividi videtur, politicam, gnomicam et eroticam; in Archilocho, qui primae periodo tribuendus est, posterioris generis fundamenta latent, sed Solonis demum aetate politicum genus in ethicum transiit, quod tamen non ratione ac via ethica praecepta tractabat, sed in precibus Diis adhibitis aut sententiis poetarum de vita humana, quas parvae gnomae continebant, versabatur. Aliud gnomicae elegiae genus non minus vitam

14) Pag. 4: *Den Jonern war das Gewebe der elegischen Dichtkunst einzige Grundform der gesammten Lyrik.*

15) Pag. 9 seq.: *Denn wenn gleich diese Strophen, als Strophen überhaupt angesehen, den Stempel der Subjektivität tragen, so sind doch ihre Faktoren beide, der Hexameter unverändert, der Pentameter mit Modifikationen aus dem objektiven Versmasse des Epos entlehnt worden, und geben als unverkennbare Bestandtheile des Allgemeinen der Elegie selbst einen Charakter von Unbestimmtheit, den sonst keine Form der subjektiven Poesie, die sich vom Metrum des Epos eigenthümlicher entfernte, gewinnen konnte.*

spectat, sed eam partem, quae naturae legibus, mutationi et perniciei subjecta est, id quod arcte cohaeret cum Jonum conditione, qualis Mimnermi aetate erat; Mimnermus enim et Simonides huc sunt referendi. Epigrammatum, quae idem Simonides multa fecit, origo in prima periodo ponenda est; quae quum aut ad gnomicam, aut ad tragicam elegiam accedant, ex altera parte nominis ἐλεγεῖον, quod recte ab ἒ ἒ λέγειν derivatur, origo repetenda est, forsitan a Simonide ipso, nisi ad initium hujus periodi referenda est, quum Sappho jam epigrammata sepulcralia fecerit. Amatoriis denique carminibus haec forma aptissima erat, id quod inde forsitan explicari possit, quod hexametri et pentametri, cum marium et femininarum natura comparandorum, conjunctio amoris vinculo, quo uterque sexus colligatur, quodammodo respondet. In hoc genere primus Mimnermus excelluit, tum Antimachus, quem poetae Alexandrini secuti sunt; paullatim tamen distichum elegiacum tantopere ab amatorio genere discedebat, ut Eratosthenes vel in rebus mathematicis exponendis eo uteretur.

Maximi momenti inter eos, qui de carmine elegiaco scripserunt, est Jo. Val. Franckius [16]), qui, licet multis in rebus vestigia antecedentium sequeretur, tamen quum propter ingenii acumen, tum propter accuratiorem harum rerum expositionem ceteris antecelluit. Quum in quaestione de origine carminis elegiaci omnia ad eam quaestionem redeant, quis elegiae inventor fuerit, primum explorat, num omnino quid de elegiae inventore constitui possit, quod negandum esse arbitratur, si lugubris initio fuisset elegia. Hanc autem non solum Horatii fuisse sententiam, loco illo, qui plerumque in harum disputationum initio ponitur, declaratam: [17])

---

16) Callinus s. quaestionis de origine carminis elegiaci tractatio critica. Alton. et Lips. 1816.

17) Epist. ad Pis. v. 75 seqq. Quo loco querimoniam non amatorium, sed lugubre genus spectare, Fr. ostendere studet p. 9—15, eo maxime fretus argumento, quod Mimnermum, amatoriae elegiae primum auctorem, nemo unquam veterum inventorem elegiae tradiderit. Locos, qui contra hanc sententiam esse videntur, aliter explicat, ita ut Orion

Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos:
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant et adhuc sub judice lis est; — sed plurimorum etiam grammaticorum [18]); quanquam Horatius non, sicut reliqui omnes, lugubri argumento metrum elegiacum praecipue convenire contendat. Quodsi igitur verum esset, (ita fere disputat Franckius) quod illi volunt, elegiam principio lugubrem fuisse, e variis grammaticorum sententiis de inventore carminis elegiaci nulla esset probabilis [19]); duae enim potissimum partes sunt, quarum altera ad Callinum, altera ad Archilochum hanc inventionem refert. Et Callinum quidem elegiae inventorem Horatius minime agnoscere potuit, quippe qui bellicus poeta fuerit, et cujus nullum vel commemoretur lugubre carmen [20]); neque vero dicere licet, Archilochum forsitan lugubria carmina fecisse, nobis deperdita, quum quasi Proteus in omni genere, quod quidem vellet attingere, pariter insignis fuerit; nimirum hoc ipsum negandum est, Archilochum voluisse talia carmina scribere [21]). Sin falsa est Horatii sententia, grammaticis, qui vel Archilochum vel Callinum inventorem elegiae censebant, necessario credendum est, ita ut alteruter revera inventor sit habendus; neque enim credibile est, ad grammaticorum, qui circa Aristarchi tempora viverent, aetatem ne mentionem quidem veri inventoris pervenisse.

Quibus expositis Franckius eo pergit, ut elegiam non initio, sed apud Atticos demum Simonidis aetate funebrem fuisse ostendat, quam quaestionem non differre ait a quaestione de origine carminum, quae primum ac proprie ἔλεγοι sint appellata. *Significat enim* ἔλεγος, ejus sunt verba [22]),

Thebanus et Plotius veterum locos perperam intellexisse dicantur (p. 11).

18) Pag. 15.

19) Pag. 19.

20) Pag. 32.

21) Pag. 36.

22) Pag. 41. Quae h. l. paucis verbis declarata sunt, accuratius expo-

ut tribus verbis rem complectar, lugubre carmen distichis compositum, quod quidem non sit epigramma, nunquam lugubre carmen alio metro; carmen autem distichis quidem scriptum, sed non lugubre, apud Romanos demum elegus dici coepit: Graeci tale carmen, si epigramma non erat, derivato inde nomine et ad universum metri genus traducto, ἐλεγεῖαν, ipsum vero distichum ἐλεγεῖον, et plura omnino disticha, sive uno vel epigrammate vel alio carmine cujusvis argumenti, sive pluribus comprehensa, plurali numero ἐλεγεῖα vocabant .... Nomina autem illa apud Atticos demum a Simonidis inde tempore usurpari coepta: ante Simonidem elegiaca carmina una cum heroicis ἔπη vocata. Grammaticos, qui primi ἔλεγον per θρῆνον explicaverint, in hac interpretatione non esse étymologiam, sed Atticorum loquendi usum secutos, id quod eo maxime probari censet, quod nullum a grammaticis probabile nominis ἔλεγος etymon sit excogitatum; nam etiam usitatum illud ἒ ἒ λέγειν suspectum videri [23]). Haec sufficere Franckio videntur ad refutandam Horatii opinionem; nam inveniendo nomini ἔλεγος occasionem dare potuisse Simonidis elegos lugubres. Inscriptionem tripodis ab Echembroto jam ante Simonidem consecrati, in qua ἔλεγος reperitur, recte a Boettigero spuriam judicari [24]). Postea nomen inveniri non potuisse ab Euripide jam usurpatum, neque vero antea, quum Theognidea etiam carmina non ἐλεγεῖα, sed ἔπη sint appellata, neque vox ἔλεγος diu ante ἐλεγεῖα usurpari potuerit; ἐλέγους enim e Graecorum usu non efficere justum aliquod genus poeticum, sed nihil aliud esse nisi lugubria ἐλεγεῖα, neque igitur fieri potuisse, quin, si certa quaedam lugubria carmina distichis composita ἔλεγοι dici coepissent, brevi haec appellatio aut prorsus in oblivionem veniret aut

---

nuntur in sequentibus, saepe quidem ita ut nimia audacia sua corrumpat potius quam corrigat vel explicet scriptorum locos. Sed haec nunc ne persequamur, quum postea tota res denuo sit tractanda.

23) Pag. 45.

24) Vide infra p. 19.

ad lugubria cujusvis metri carmina traduceretur, nisi paullo post nomen generis, appellatio τῶν ἐλεγείων, accessisset [25]). Neque id opponi posse, etiam ea carmina hexametris non composita, quae peculiare nomen haberent, ἔπη vocata esse; hoc enim nonnisi a seriorum temporum scriptoribus factum esse [26]).

Quae quum ita sint, ad totam quaestionem solvendam nihil relinqui Franckius ait, nisi ut ostendatur, utrum Callinus an Archilochus antiquior fuerit. Sequitur quaestio de Callini aetate, cujus summa ea est, ut Callinus Archilocho longe antiquior esse dicatur [27]). Sed de his alio loco accuratius videndum est.

Guil. Ern. Weberus [28]) non tam ipse novas de his rebus quaestiones instituit, quam ea, quae ab aliis, praesertim a Schneidero et Franckio exposita erant, recepit. Callinum, qui, si quid auctoritatis hac in re grammaticorum judicio tribui possit, inventor sit habendus, nono vel octavo ante Chr. seculo vixisse arbitratur. Novum elegiae genus addit ab aliis praetermissum, heroicum sive epicum [29]), ad quod referenda esse censet quae Archilochus de Abantibus dixisse feratur, Mimnermi carmen de pugna Smyrnaeorum contra Gygem, Simonidis in pugnam Plataeensem, inprimis autem ea Alexandrinorum fragmenta, quae argumenta epica, e Deorum heroumque mythis desumta, forma elegiaca contineant. Quanquam ipse monet, istas divisiones cum rebus ipsis non necessario conjunctas, nonnisi ad rem facilius perlustrandam institui [30]).

Jam sequitur Nic. Bachius, qui quum jam priore tempore breviter hanc quaestionem tetigisset [31]), postea accuratius et mutata passim sententia in eam inquisivit [32]), ubi

25) Pag. 76.

26) Pag. 77—86.

27) Pag. 89—117.

28) Die elegischen Dichter der Hellenen nach ihren Ueberresten übersetzt und erläutert. Frkft. 1826. pag. 409—441: Geschichtlicher Ueberblick.

29) Pag. 438; cf. p. 420.

30) Pag. 420 seq.

31) Solonis carminum quae supersunt. Bonn. 1825. p. 7 sqq.

32) Ueber den Ursprung und die Bedeutung der elegischen Poesie bei den Griechen, in Zimmermanni Schulzeitung. Sect. II. 1829. N. 133—

de nomine elegiae ita fere disputat: Veteres ipsos voce ἐλεγεῖον nihil nisi formam notasse; ἔλεγος autem, quod ab ἒ ἒ λέγειν derivari grammaticae rationes vetent, et quod potius e radice simplici ἐλελεῦ vel simili interjectione ortum esse videatur [33]), et antiquius esse, et significare querimonias metri ratione non habita; neque solum Echembroti inscriptione priorem ejus usum convinci, sed etiam id, quod Suidas tradat, Olympum fuisse ποιητὴν ἐλεγείων — dicendum fuisse ἐλέγων — et Midam ἐλέγους fecisse [34]), certe probare, veteres ipsos elegi originem in satis antiquo tempore posuisse. Elegos ab antiquissimis temporibus ad tibiam cantatos esse, id quod ex eadem Echembroti inscriptione appareat, posteriores autem scriptores hos elegos cum ἐλεγείοις confudisse. Metricam antiquissimorum illorum carminum lugubrium formam aut omnino certam non fuisse arbitratur, aut antiquis jam temporibus, forsitan ante ipsum Callinum, disticha hexametris pentametrisque alternis composita fuisse; mox autem eandem formam in argumentis prorsus diversis usurpatam esse. Formam ipsam ἐλεγείων nomine ante Euripidis et Platonis aetatem non appellari; quo tamen tempore ortum sit, decerni non posse. Qui factum sit, ut hoc nomen ad formam argumenti ratione non habita transiret, Bachius non aliter ac Schneiderus explicat, cui etiam ea in re assentitur, quod poema lyricum Jonum proprium ea contineri arbitratur. Callinum antiquissimum eorum poetarum habet, de quibus memoriae proditum sit. Quae praeterea de

---

136. Pag. 1089 — 1117. Cf. Jahnii et Seebodii Neue Jahrbüch. für Philol. und Pädagog. T. XIII. p. 91 sqq. — De lugubri Graecorum elegia spec. I. p. 3 — 5.

33) Pag. 1101: *Hier springt uns zunächst der Schmerzes- und Kriegsruf* ἐλελεῦ *in die Augen, ausser dem es vielleicht noch andere ihm ähnliche Naturlaute gegeben haben mochte, die zur Bildung des Substantivums* ἔλεγος *die Wurzel hergegeben haben könnten. Denn so gut von* ἐλελεῦ *oder einem ähnlichen Ausrufe das Verbum* ἐλελίζειν *abgeleitet wird, konnte auch das Substantivum* ἔλεγος *daraus entstehn.*

34) At Suidas (s. v. ἔλεγος) hoc non dicit.

variis elegiae generibus addit, ea ab iis, quae alii jam monuerant, in universum non differunt.

De quibus modo verba fecimus, VV. DD. a Boettigero inde licet in singulis nonnullis rebus in diversas discedant partes, ea tamen in re inter se consentiunt, quod distichum hexametro pentametroque constans non statim ab initio ad lugubria carmina facienda adhibitum, sed nomen ἐλεγεῖον huic formae tum demum inditum esse dicunt, quum posteriore tempore carmina lugubria in ea perfici coepta essent; quanquam Bachius, an carmina lugubria jam ante Callinum distichis elegiacis facta sint, dubium relinquit [35]). Contra recentissimi nonnulli id, quod priores negaverant, affirmant, e quorum numero primus est Fr. Osannus [36]), qui hoc fere modo disputat: Res, quae ad progressus artium disciplinarumque Graecorum pertinent, tum demum nobis conspicuae fieri solent, ubi magnum perfectionis gradum sunt assecutae, ita ut viae, quibus ad eum pervenerint, ignotae relinquantur. Neque solum id cadit in tempus, quod ante Homerum fuit, quem ad summum epici poematis fastigium adscendisse videmus, sed postea etiam iisdem lacunis literarum historia laborat. Novum apparet poema lyricum, quod quomodo ex epico prodierit, non liquet, nam qui hymnum Homericum quasi transitum fecisse ex epico carmine ad lyricum statuunt, temere agunt, non intelligentes, hymnum jam ante epos Homericum fuisse, et epos potius ex epicis hymni elementis

35) L. c. p. 1108. cf. de lug. eleg. spec. I. p. 3: *Jam ἔλεγων quale principio fuerit metrum nemo hodie ad liquidum perduxerit . . . . Graeci in sepulcris lapides erigere iisque epigrammata inscribere solebant, et quoniam animi sententiam aut aegritudinem paucis plerumque verbis exprimebant, atque disticho potissimum includebant, quale jam Archilocho adscribitur ἐπιτύμβιον, hoc ipsum distichum, doloris quasi interpretationem, respicientes ad vocis ἔλεγος significationem vocabant ἐλεγεῖον. Sic paullatim usu venisse videtur, ut distichum qualicunque sententiae adstrictum diceretur ἐλεγεῖον.*

36) Beiträge zur Griechischen und Römischen Literaturgeschichte. T. I. Darmstadt. 1835. pag. 1—79.

ortum esse, quam contra [37]). Neque vero majus adjumentum haec quaestio capit e Bachii explicatione, lyricam poesin cum paeane, threno, lino aliisque carminibus popularibus conjungentis, quum ea num posterioribus carminibus lyricis similia fuerint, decerni nequeat. Quaeritur ante omnia, qui factum sit, ut antiquissima poeseos lyricae forma, elegia, hoc maxime modo secundum naturae leges prodiret [38]). Praeterea id accuratius explicandum est, num revera poema lyricum ex epico prodierit, et, etiamsi hoc concedatur, denuo quaeritur, quomodo forma elegiaci carminis, qua ab aliis generibus distinguatur, orta sit; sin quis dicat, pentametrum ex hexametro ortum esse, res, quae mero poetae arbitrio niteretur, antiquissimis temporibus novae formae metricae origo esse non potuit, et praeterea inter hexametrum et pentametrum, qualis nunc est, nonnullas formas medias intercessisse probabile est. — Elegiaci igitur carminis originem adhuc caligine obductam esse apparet; ne nomen quidem certo explicari potest, licet eorum sententia, qui id ab ἒ ἒ λέγειν derivandum esse censent, maxime placeat; nam quod Bachius (et jam Franckius) ei opponit, formam tum potius esse debere ἔλογος, compositione ἰαμβέλεγος refutatur [39]). Tempus, quo prima elegiaci carminis vestigia reperiuntur, magnis rerumpublicarum turbis commotum erat, quae origini elegiae politicae, cujus auctor Callinus fuisse plerumque di-

---

37) Pag. 5 seq.

38) Pag. 7: *Die eigentliche Aufgabe, die nicht klar ins Auge gefasst worden, ist vielmehr, nachzuweisen, wie sich die älteste uns bekannte Form der Lyrik, die wir in der Elegie haben, aus gewissen Prämissen eben nur auf diese Weise und zwar auf einem organischen Wege herausgebildet habe.*

39) Jure mirantur Welckerus (Rh. Mus. IV, p. 428) et Bachius (d. lug. eleg. spec. II. p. 3), Osannum ad verbum compositum ἰαμβέλεγος provocare, quasi id ortum esset ex verbo λέγειν, neque potius ex ipsa voce ἔλεγος; sed nescio quomodo Welckerus dicere potuerit, potius comparandas esse formas δυστηλεγής, τανηλεγής, quasi adjectiva, quae in ης exitum habent, unquam ε quod in radice est, in ο mutarent.

citur, occasionem praebebant, sed et antea et eodem tempore alia genera fuisse videntur. Pentameter inde ab initio cum hexametro conjunctus est, et ita quidem, ut distichum unam sententiam contineret, quam legem quum Callinus saepe migret, hinc etiam sequitur, ei multos hujus generis poetas antecessisse [40]. Haec parva forma nihil continere poterat, nisi gnomam, quae tamen neque antiquioribus temporibus apta est, neque tam arcte cum elegiaca forma conjuncta, ut inde hujus formae origo repeti possit. Itaque nihil restat, nisi ut grammaticorum sententias de propria vocis *ἔλεγος* significatione sequentes, distichum elegiacum initio epigramma sepulcrale fuisse statuamus. Pentametri autem origo hac conjectura explicari videtur: Quum threnodiam formam sibi peculiarem eamque simplicem habuisse consentaneum sit, dactylica autem antiquissima sint metra, trimeter dactylicus (s. penthemimeris dactylica) ei tribuendus esse videtur, initio quidem solus per se positus, deinde cum aliis ordinibus rhythmicis conjunctus. Hic rhythmus cum lyrica hujus generis indole cohaerere potest, quanquam id demonstratu difficile est [41]; quomodo ex eo pentameter ortus sit, sponte patet. E disticho lugubri paullatim majores elegiae lugubres ortae sunt, quae deinde ad gnomicum genus accedebant. In gnomis origines omnium animi affectionum insunt, quae postea singulatim explicitae elegiaca forma exprimuntur.

---

40) At hoc profecto est in circulo versari!

41) Pag. 24. Osannus h. l., in quo cardo rei versatur, justo obscurius loquitur, neque ei, quod ipse postulaverat, satisfacit, explicationem arctae conjunctionis inter formam elegiacam et argumentum, quod ea continetur, intercedentis abjiciens. Laudat inprimis Procli hac de re judicium (Chrestom. p. 379. Gaisf. Phot. cod. CCXXXIX): *Τὴν δὲ ἐλεγείαν συγκεῖσθαι μὲν ἐξ ἡρῴου καὶ πενταμέτρου στίχου· ἁρμόζειν δὲ τοῖς κατοιχομένοις· ὅθεν καὶ τοῦ ὀνόματος ἔτυχε. Τὸ γὰρ θρῆνος ἔλεγον ἐκάλουν οἱ παλαιοί· καὶ τοὺς τετελευτηκότας δι᾽ αὐτοῦ εὐλόγουν. Οἱ μέντοι μεταγενέστεροι τῇ ἐλεγείᾳ πρὸς διαφόρους ὑποθέσεις ἀπεχρήσαντο. Λέγει δὲ καὶ ἀριστεῦσαι τῷ μέτρῳ Καλλῖνον κ. τ. λ.*

Quum vero gnoma ad didacticum argumentum magis accederet, elegia propria paullatim ab ea secernebatur, et pro variis vitae rationibus in varia genera dividebatur. Iis, quae plerumque numerantur, generibus praecipue addendum est genus symposiacum, licet alia quoque fuisse consentaneum sit.

Statim adjiciamus Welckeri sententiam, quam in censura libri, de quo modo locuti sumus, protulit [42]). Operam perdere eos contendit, qui pentametri originem ex hexametro ducere studeant. Souchaeum ea in re sequitur, quod carmina sepulcralia prima distichis composita esse censeat, cujus rei argumentum etiam in ipsa voce ἔλεγος ponit, in qua formula ἓ λέγε insit in substantivum mutata, eodem modo, quo in exclamationibus λίλε, εὐοῖ, πλεῖστον οὖλον ἵει, φίλε ἥλιε, ἰὼ Βάκχε, ἰὴ ἔλε substantivorum radices lateant [43]). Verisimile videri, in fine orationis lugubris transitum factum esse verbis ἓ λέγε, itaque e loquendi formula eorum, qui cantum moderarentur, inter hymnos et lamentationes interposita, ἓ λέγε, ἓ λέγε ἕ, ortam esse pentametri formam [44]). Threni ephymnium, e quo pentameter ortus sit, tanquam querimoniae imaginem cum hexametro conjunctum ad moestam mortui laudem, dolorem et memoriam ejus pronuntiandam aptissimum fuisse, deinde quoque carminibus, in quibus desiderium et sollicitudo amoris inesset, faciendis. Grammaticorum locis, qui hoc proprium elegiae argumentum esse tradant, accedere ait veterem Ciceronis Scholiastam [45]), cujus

42) Rhein. Mus. IV, 3. p. 424 sqq.

43) Pag. 428.

44) Similis est sententia G. Hermanni, proposita in Zimmermanni Zeitschrift für die Altersthumswissenschaft. 1836. N. 66. p. 531, Welckeri ratione non habita: *Lugendi formula est ἓ ἓ λέγε, ex eaque et origo carminis elegiaci, quod versu hexametro ac pentametro constat, et appellatio explicari potest. Vix enim dubitandum videtur, quin antiquissimi illius lugubris carminis ea ratio fuerit, ut pentametrorum posterior pars haec esset: ἓ ἓ λέγ᾽, ἓ ἓ λέγε. Illi igitur recte dicti sunt ἔλεγοι.*

45) Schol. Cicer. II, p. 358. Orell. Hunc locum, quod et Bachium (Jahn.

haec sunt verba: *Primus autem videtur elegiacum carmen scripsisse Aliinos. Adjecit Aristoteles praeterea hoc genus poetas Antimachum Colofonium, Archilochum Parium, Mimnermum Colofonium, quorum numero etiam additur Solon Atheniensium legum scribtor* (sic) *nobilissimus.* Quo loco pro *Aliinos* non scribendum esse cum Majo et Orellio *Kallinos*, sed *Ailinos;* Linum enim Heraclide auctore threnum, et Phylarcho apud Natalem Comitem teste elegiam lugubrem invenisse. Praeterea collatis omnibus, quae ad defendendum lugubre elegiae principium dici solent, sententiam suam firmare studet. Ad Osanni opinionem de genere symposiaco quod attinet, operae pretium non esse arbitratur, tale genus statuere, quum carmina illa partim inter ea, quae variis modis composita in compotationibus canerentur, partim ad gnomas sint referenda; propriis elegiis faciendis occasionem illam non aptam fuisse [46]).

Eodem fere tempore, quo Osannus, ita ut ejus librum inspicere non potuisset, de quaestione nostra disseruit Herm.

Jahrbb. T. XIII, p. 92) et Osannum (l. c. p. 14) fugisse videtur, jam indicaverat Franckius (Callin. p. 27). Welckeri conjectura, quam jam in dissertatione de Lino (Schulzeitung. 1830. N. 4. n. 76.) protulerat, vix probari potest; nam etiamsi Linus elegiaci carminis inventor diceretur — quod tamen neque e Plut. d. Mus. p. 1132, A, qui nihil nisi Linum θρήνους πεποιηκέναι dicit, neque e Natalis Comitis loco (lib. IV. p. 347. ed. Genev. 1651) sequitur, qui, siquidem omnino Phylarchus tale quid dixerat, facile lamentationes cum carmine elegiaco confundere poterat, et cujus auctoritas non magni facienda est —: quis tamen unquam Αἴλινον tanquam personam commemoravit? Quin Ilgenius (de scol. poesi. p. XV.) nomina λίνος et αἴλινος plane nihil commune habere dicit; quod etiamsi temere dictum sit, tamen ne Welckerus quidem ipse ejusmodi locum indicavit (cf. Schulztg. l. c. p. 25). Ceterum ex h. l. non apparet, Aristotelem Callinum elegiae inventorem habuisse, quanquam inter elegiacos poetas ab eo nominatus esse videtur; et ideo quoque Welckeri sententia rejicienda est, quod statuendum esset, eum Callinum prorsus omisisse.

46) Pag. 438.

Ulricius [47]. Elegiam, quae lyrica Jonum poesis dici possit, ad epicum carmen se applicare dicit, ita ut nonnullis in rebus hymni Homerici et Homeridarum carmina transitum faciant [48]. Eam Jonum moribus optime respondisse; etiamsi vero nulla lyrici poematis pars tot variationibus obnoxia fuerit, tamen etiam in ea certum et immutabile fundamentum necessario relinqui, in quo ejus vis et natura posita sit. Nimirum admiscetur in ea, ut Ulricius censet, epica pars materiae lyricae, ita ut haec quidem majorem vim habeat, illa tamen non minus necessaria sit ad naturam et proprietatem totius generis efficiendam [49]. Inde varia elegiacae poeseos genera prodeunt, in quibus omnibus id, in quo ejus notio cernitur, epica externae rei perceptio et conjunctio cum vita lyrica animoque lyrico hominis, inesse debet. Unde verbum ἔλεγος derivetur, non magni esse momenti Ulricius arbitratur, quum doloris et luctus significationem inesse certum sit [50]. De tempore quo nomina ἐλεγεῖον et ἐλεγεία orta sint, cum Franckio consentit, ἔλεγος tamen antiquius esse censet. Quod initio carmina elegiaca ἔπη sint dicta, inde probari, ea maxime ad epicum poema accessisse, cujus rei Callini, Archilochi, Tyrtaei reliquiae et ipsae argumento sint. Initio enim externae vitae, inprimis civilis,

---

47) Geschichte der Hellenischen Dichtkunst. Zweiter Theil. Lyrik. Berlin. 1835. pag. 98 sqq. 167 sqq. 259 sqq.

48) Pag. 258.

49) Pag. 99 sqq.: *Der Dichter ergreift einen von aussen gegebenen bestimmten und individuellen Gegenstand des Lebens . . mit epischem Sinne und epischer Gegenständlichkeit und Aeusserlichkeit, und knüpft daran den lyrischen Gedanken und die lyrische Betrachtung an. Der äussere Gegenstand bleibt, was er ist; die Dichtung lässt ihn in seiner poetischen oder historischen Wirklicheit und Aeusserlichkeit unberührt, er wird gleichsam nur zugleich Stütze und Hebel des lyrischen Gedankens, und wie von einem Strome lyrischen Geistes umflossen.*

50) Nisi primitivum sit verbum, cum ἄλγω, ἔλγω, ἀλέγω id comparat; adjecta doloris interjectione oriri potuisse ἒελγος, *ein Seufzerschmerz*, *ein Achschmerz*, et inde euphoniae causa literarum transpositione ἔλεγος.

rationes eorum materiam dabant, deinde ad internas civitatum conditiones se accomodabant; postea demum poetae sua ipsorum sensa elegiis exprimere poterant, et Mimnermus non solum amatorii generis auctor fuit, sed threneticam quoque indolem in eas transtulit; ambo genera postea a diversis poetis excolebantur. Duplici elegiae naturae forma accomodata erat, quum hexameter epicae, pentameter lyricae parti responderet [51]). Simul elegiaca poeseos lyricae pars cum auloedia nomica cohaeret [52]). Lugubribus carminibus, quae ab antiquissimis temporibus apud Graecos in usu erant, tibia multo magis conveniebat, quam cithara; simul autem pentametri natura sonis queribundis optime respondet, ita ut mirum esset, nisi Graeci hoc potissimum metro in carminibus queribundis usi essent. Cum antiquissimis tibicinibus nova threnetici poematis vestigia apparent; cum vetere tibiarum usu in funeribus Graecorum mos certamina gymnica, pleraque e ludis sepulcralibus orta, tibiarum cantu prosequendi cohaesisse videtur, qua re explicatur, qui factum sit, ut Spartani carmina bellica cum tibiis conjungerent [53]). Compluribus autem veterum scriptorum narrationibus, de Olympo ἐλεγείων poeta, de Mimnermi nomo auloedico cum elegiis conjuncto, de Clonae nomis, quibus ἐλέγων nomen fuerit, et aliis, conjunctio pentametri cum poesi threnetica et cum auloedia jam mature facta probatur [54]). Quaeritur tamen, num veterum illorum carminum et natura et forma eadem fuerit atque elegiae, quae postea hoc nomine appellabatur. Et antiquissimus quidem vocis ἔλεγος usus ad artem musicam potius quam ad poesin ejus significationem spectare

51) Pag. 107: *Das epische Element, der äussere Gegenstand in epischer Auffassung, mit welchem der lyrische Gedanke sich gleichsam vermählt, ist repräsentirt durch den Hexameter; der lyrische Gedanke wird ihm gepaart durch den Pentameter, welcher in seinem Steigen und Fallen das Wogen der Empfindungen und Gefühle schön darstellt.*

52) Pag. 168 sqq.

53) Pag. 174 seq.

54) Pag. 176 seq.

Ulricius [47]). Elegiam, quae lyrica Jonum poesis dici possit, ad epicum carmen se applicare dicit, ita ut nonnullis in rebus hymni Homerici et Homeridarum carmina transitum faciant [48]). Eam Jonum moribus optime respondisse; etiamsi vero nulla lyrici poematis pars tot variationibus obnoxia fuerit, tamen etiam in ea certum et immutabile fundamentum necessario relinqui, in quo ejus vis et natura posita sit. Nimirum admiscetur in ea, ut Ulricius censet, epica pars materiae lyricae, ita ut haec quidem majorem vim habeat, illa tamen non minus necessaria sit ad naturam et proprietatem totius generis efficiendam [49]). Inde varia elegiacae poeseos genera prodeunt, in quibus omnibus id, in quo ejus notio cernitur, epica externae rei perceptio et conjunctio cum vita lyrica animoque lyrico hominis, inesse debet. Unde verbum ἔλεγος derivetur, non magni esse momenti Ulricius arbitratur, quum doloris et luctus significationem inesse certum sit [50]). De tempore quo nomina ἐλεγεῖον et ἐλεγεία orta sint, cum Franckio consentit, ἔλεγος tamen antiquius esse censet. Quod initio carmina elegiaca ἔπη sint dicta, inde probari, ea maxime ad epicum poema accessisse, cujus rei Callini, Archilochi, Tyrtaei reliquiae et ipsae argumento sint. Initio enim externae vitae, inprimis civilis,

---

47) Geschichte der Hellenischen Dichtkunst. Zweiter Theil. Lyrik. Berlin. 1835. pag. 98 sqq. 167 sqq. 259 sqq.

48) Pag. 258.

49) Pag. 99 sqq.: *Der Dichter ergreift einen von aussen gegebenen bestimmten und individuellen Gegenstand des Lebens . . mit epischem Sinne und epischer Gegenständlichkeit und Aeusserlichkeit, und knüpft daran den lyrischen Gedanken und die lyrische Betrachtung an. Der äussere Gegenstand bleibt, was er ist; die Dichtung lässt ihn in seiner poetischen oder historischen Wirklichkeit und Aeusserlichkeit unberührt, er wird gleichsam nur zugleich Stütze und Hebel des lyrischen Gedankens, und wie von einem Strome lyrischen Geistes umflossen.*

50) Nisi primitivum sit verbum, cum ἄλγω, ἔλγω, ἀλέγω id comparat; adjecta doloris interjectione oriri potuisse ἔελγος, *ein Seufzerschmerz, ein Achschmerz*, et inde euphoniae causa literarum transpositione ἔλεγος.

rationes eorum materiam dabant, deinde ad internas civitatum conditiones se accomodabant; postea demum poetae sua ipsorum sensa elegiis exprimere poterant, et Mimnermus non solum amatorii generis auctor fuit, sed threneticam quoque indolem in eas transtulit; ambo genera postea a diversis poetis excolebantur. Duplici elegiae naturae forma accomodata erat, quum hexameter epicae, pentameter lyricae parti responderet [51]. Simul elegiaca poeseos lyricae pars cum auloedia nomica cohaeret [52]. Lugubribus carminibus, quae ab antiquissimis temporibus apud Graecos in usu erant, tibia multo magis conveniebat, quam cithara; simul autem pentametri natura sonis queribundis optime respondet, ita ut mirum esset, nisi Graeci hoc potissimum metro in carminibus queribundis usi essent. Cum antiquissimis tibicinibus nova threnetici poematis vestigia apparent; cum vetere tibiarum usu in funeribus Graecorum mos certamina gymnica, pleraque e ludis sepulcralibus orta, tibiarum cantu prosequendi cohaesisse videtur, qua re explicatur, qui factum sit, ut Spartani carmina bellica cum tibiis conjungerent [53]. Compluribus autem veterum scriptorum narrationibus, de Olympo ἐλεγείων poeta, de Mimnermi nomo auloedico cum elegiis conjuncto, de Clonae nomis, quibus ἐλέγων nomen fuerit, et aliis, conjunctio pentametri cum poesi threnetica et cum auloedia jam mature facta probatur [54]. Quaeritur tamen, num veterum illorum carminum et natura et forma eadem fuerit atque elegiae, quae postea hoc nomine appellabatur. Et antiquissimus quidem vocis ἔλεγος usus ad artem musicam potius quam ad poesin ejus significationem spectare

51) Pag. 107: *Das epische Element, der äussere Gegenstand in epischer Auffassung, mit welchem der lyrische Gedanke sich gleichsam vermählt, ist repräsentirt durch den Hexameter; der lyrische Gedanke wird ihm gepaart durch den Pentameter, welcher in seinem Steigen und Fallen das Wogen der Empfindungen und Gefühle schön darstellt.*

52) Pag. 168 sqq.

53) Pag. 174 seq.

54) Pag. 176 seq.

docet[55]); attamen necessarium est, veterem melodiam auloedicam distichorum metro aliquam in partem similem fuisse, quum hoc ab illo nomen adoptaverit; neque probabilitate caret, antiquissimos nomos illos solo pentametri rhythmo cantatos esse. Recte igitur Callinus propriae elegiae inventor dici poterat, quippe qui primus hexametrum cum pentametro conjungeret. Forsitan etiam id, quod Jones Asiatici tibiis sonantibus in pugnas profecti esse videntur, effecit, ut hexameter cum pentametro, id est poëma heroicum cum auloedia, in carminibus bellicis conjungeretur; certe Callini, Archilochi et Tyrtaei disticha ad tibias canebantur.

Denique G. Bernhardyi[56]) sententia, breviter nuper exposita, in medium proferenda est. Is, in literarum Graecarum historia gentium et dialectorum inde pendentium diversitatem probe tenendam esse contendens[57]), Jones mores suos primum carmine epico declarasse ait; quum vero vita magis contrahi coeperit, etiam poesin breviorem arctioremque formam induisse, et elegiam ortam esse, quae, dum in iis, quae a cujusvis natura repetenda sint, hilaritate, animi concitatione et dolore, versari videatur, re vera externum rerum praesentium statum mutationi subjectum exprimat[58]). Archilochum primum amplum carminis epici argumentum et formam in parva corpora dividere ausum esse, quae singu-

55) Pag. 179 seq. cf. p. 182.

56) Grundriss der griechischen Literatur. T. I. Halle. 1836. Cf. Hall. Lit. Ztg. Erg. Bl. Decbr. 1836. N. 113.

57) Cf. maxime pag. 30. 114 seq.

58) Pag. 84: *Als hierauf das Leben an jener glänzenden räumlichen Breite vieles einzubüssen und sich in unzusammenhängenden Gruppen der bürgerlichen Gesellschaft zu bestimmen anfing, wandelte sich das Epos in ein knapperes Mass um, in die Elegie, welche scheinbar die subjectiven Gefühle des Frohsinns, der Leidenschaft und der Wehmuth, innerlich aber die objectiven Zustände der Gegenwart in ihrem ganzen Wechsel ausspricht, und stets in den Kreis der einseitigen bürgerlichen Ordnung zurückkehrte.* Cf. pag. 263.

lorum libertati exprimendae apta essent [59]. Ceterum apparere, pentametrum jam ante Callinum et Archilochum quamvis rudem ab Jonibus usurpatum esse. Nova forma tempori apta in epici carminis locum succedebat, et totam vitam humanam in se recipiebat. Ab Jonibus deinde elegia ad Dorienses, denique ad Atticos transiit.

CAPUT II.

De verborum ἔλεγος, ἐλεγεῖον, ἐλεγεία significatione.

De carmine elegiaco, sicut de quacunque re, accurate disserturis ante omnia opus est ut de nominis significatione convenerit; quod licet multis aliis in rebus, ubi omnia perspicua sunt, supervacaneum videri possit, nostra in causa summi est momenti, quum inde ex parte quidem tota disputatio pendeat. Ubi vero de Graecorum elegia loquimur, Graecorum ipsorum usus est observandus, ne ea ratione, qua recentioribus temporibus haec vox usurpata est, in errorem seducamur. Exeundum est e voce ἔλεγος, unde quin ἐλεγεῖον et ἐλεγεία originem ducant, nemo dubitare potest. Et grammaticorum quidem loci omnes ita consentiunt, ut ἔλεγος idem significare quod θρῆνος contendant [1]; neque obstant ipsorum veterum scriptorum loci, quotquot hanc vocem exhibent, quamvis pauci illi neque ad antiquissimam aetatem referendi. Primo reperitur in epigrammate tripodi, quem Echembrotus Arcas auloedus Delphis Olymp. XLVIII, 3

---

59) Pag. 260. Cf. p. 264.

1) Grammaticorum locos collegit Santen. ad Terent. Maur. p. 304 sqq.

dedicasse dicitur, inscripto [2]), cui haec forma restituenda esse videtur:

Ἐχέμβροτος Ἀρκὰς ἔθηκε τῷ Ἡρακλεῖ
Νίκησας τόδ' ἄγαλμ' Ἀμφικτυόνων ἐν ἀέθλοις.
Ἕλλησιν δ' ᾄδων μέλεα καὶ ἐλέγους.

Fuerunt quidem qui spurium id esse contenderent, quippe quod non justo conclusum sit metro, quum tam antiquo tempore epigrammata pedestri oratione facta non sint [3]); neque tamen prorsus metrica forma id carere, etiamsi in codd. nonnulla corrupta sint [4]), sponte apparet, et quod verba in initio posita in metrum cogi non possunt — quanquam et hoc fieri posse nonnullis visum est [5]) — id aliis quoque exemplis, uno quidem ab ipso Pausania memoriae tradito [6]), defendi potest; neque quod in prima vocis *μέλεα* syllaba producta latet vitium, in epigrammate offendit, ita ut ne opus quidem sit, ut tripodem inferiore aetate consecratum esse dicamus [7]). Tristem autem horum elegorum fuisse

---

2) Paus. X, 7, 3. De anno aliter judicat Od. Muellerus (Dor. II, p. 492. cf. p. 506), qui primae Pythiadis initium in Ol. XLVII, 3. ponendum esse arbitratur, quum ea *ἐννεαετηρίς*, non, ut ceterae, *ἑξαετηρὶς* fuerit.

3) Boettiger. Att. Mus. I, 2. p. 340, quem sequitur Franck. Callin. p. 50. 123 seq.

4) Locum correctum exhibuerunt Siebelisius et Jacobsius (Anthol. Pal. II, p. 838); vulgo scribebatur: *Ἐχέμβρ. Ἀρκ. ἔθηκε Ἡρακλεῖ νίκησας τόδ' ἄγαλμ' Ἀμφικτυόνων ἐν ἄθλοις, Ἕλλησι δ' ἀείδων μέλεα καὶ ἐλέγους.*

5) G. Hermann. apud Siebelis. ad Paus. T. IV, p. 178 inscriptionem e tribus hexametris constitisse existimat; Thiersch. in Act. phil. Mon. III, p. 586 aliquid excidisse ex ipsis Pausaniae verbis apparere dicit.

6) Paus. V, 27, 1, ubi epigrammatis initium *οὐ σὺν μέτρῳ* fuisse tradit, quanquam id serioris erat originis, quam nostrum; erat enim Dionysii Argivi, qui floruit sub Ol. LXXVII (v. Mueller. Archaeologie. §. 82 p. 62). Alia exempla suppeditant Siebelis. ad Paus. X, 7, 3. Welcker. Syll. Epigr. p. 191 seq., qui praeterea productionem primae syllabae in v. *μέλεα* similibus exemplis defendit. Bach. quoque (p. 1106) epigrammatis auctoritatem defendit.

7) Siebelis. l. c. cf. ad VI, 10, 2.

naturam, inde apparet, quod propter hanc causam auloedia, qua Echembrotus vicerat, a ludis Pythicis remota esse dicitur [8]).

Sequitur aetate Euripides, qui compluribus locis voce ἔλεγος ita utitur, ut grammaticorum explicatio conveniat; ita in Iphigenia Taurica [9]) haec exstant verba:

ὦ δμωαί, δυσθρηνήτοις
ὡς θρήνοις ἔγκειμαι
τᾶς οὐκ εὐμούσου μολπᾶς (βοᾶν)
ἀλύροις ἐλέγοις, ἒ ἒ,
ἐν κηδείοις οἴκτοις,

neque a ceteris ejus locis, quibus hoc nomen exstat, eadem vis abest. Eadem ratio est loci Aristophanei [10]), ubi upupa lusciniae cantus ἐλέγους, eandemque νόμους ἱερῶν ὕμνων θρηνεῖν dicit propter Ityis mortem; lusciniam autem lugere et lamentari dici ob cantus luctuosos non solum in fabulis illis de Pandarei filia Aedone Itylum filium lugente [11]) et de Procne ac Philomela [12]), sed etiam in sexcentis antiquorum recentiorumque poetarum locis, inter omnes constat. — Apollonii locus, ubi Lycus, Mariandynorum rex, Priolaum fratrem, a Mysis interfectum, οἰκτίστοις ἐλέγοισιν ὀδύρεσθαι a populo narrat [13]), nihil aliud docet.

Sed accuratiorem etiam hujus vocis usum e Plutarchi loco [14]) cognoscimus, ubi inter nomos auloedicos, quibus

---

8) Paus. l. c.: καὶ αὐλῳδίαν τε κατέλυσαν, καταγνόντες οὐκ εἶναι τὸ ἄκουσμα εὔφημον· ἡ γὰρ αὐλῳδία μελέτη τε ἦν αὐλῶν τὰ σκυθρωπότατα, καὶ ἐλεγεῖα καὶ θρῆνοι προςᾳδόμενα τοῖς αὐλοῖς.

9) V. 143 sqq. Dindorf. Cf. v. 1091. ὄρνις — ἃ ἔλεγον οἶτον ἀείδεις. Hel. 184 seq. ἔνθεν οἰκτρὸν ἀνεβόασεν, ὅμαδον ἔκλυον, ἄλυρον ἔλεγον. Troad. 119. ἐπὶ τοὺς αἰεὶ δακρύων ἐλέγους. Cf. Franck. p. 45 seq. Bach. p. 1101.

10) Avv. 209. sqq.; cf. 744 sq.

11) Hom. Odyss. XIX, 518.

12) V. quos laudat Gierig. ad Ovid. Metam. VI, 412.

13) Argonaut. II, 784.

14) Plut. d. Mus. p. 1132, C. Franckius quidem (Call. p. 121) hunc lo-

veteres tibicines Clonas et Polymnestus usi sint, ἐλέγους refert; quod nomen si ad illorum virorum aetatem referre liceat, sane antiquissimum hoc est de ejus usu testimonium. Et in hanc significationem id quoque quadraret, quod duobus Euripidis locis ἔλεγοι dicuntur ἄλυροι, quanquam in hac voce non inesse videtur, tibias, non citharam, cum elegis esse conjunctam; ἄλυρα enim ea dicuntur, quae a festiva hilaritate absunt [15]. Accedit tamen, quod in Helenae loco ἔλεγος simul νόμος γοερὸς appellatur, et apud Aristophanem iidem ἔλεγοι dicuntur νόμοι ἱερῶν ὕμνων, ubi vox νόμοι non prorsus praetermittenda est, id quod plerumque ab interpretibus fit [16]. De nomorum ratione licet non satis constet, id tamen certum est, eos modos fuisse ad musicam potius quam ad poesin pertinentes, et cum Deorum cultu arctius cohaerentes [17]. Hoc etiam in eos locos cadit, ubi ἔλεγοι modi queruli esse videntur, qui avibus et Nymphis recte tribui possunt; neque vero in omnibus locis haec notio quaerenda est, quum proprio sensu ἔλεγοι nihil sint nisi querelae; et hac ratione in Appollonii loco res se habet, ubi ne de modis musicis quidem cogitandum est. Difficilior res est in Echembroti epigrammate, in quo ἔλεγοι καὶ μέλεα conjunguntur, quae verba Pausanias per ἐλεγεῖα καὶ θρῆνοι explicat. Quum vero ex ipsius verbis appareat, eum suo tantum arbitrio ἐλέγους, qui in epigrammate dicuntur, ἐλεγεῖα appellare, ante omnia videndum est, an hoc quoque loco nomorum significatio in verbo illo inesse possit. Quid autem impedit, quo minus Echembrotum nomos auloedicos, quibus ἐλέγων nomen fuerit, cecinisse statuamus [18]? Immo

cum corruptum et vocem ἔλεγοι a glossatore esse interpositam censet, neque tamen causam protulit sufficientem; nam quod non respondet ei significationi, quam ipse sibi finxit, id profecto in causa esse non potest, cur locum, e quo vocis significatio repetenda est, mutemus.

15) Cf. Eurip. Phoen. v. 1028. Soph. Oed. Col. 1222.

16) Cf. Leutsch. in Allgem. Schulztg. 1838. N. 128 p. 1023.

17) V. quos laudat Leutsch. l. c.; adde Ulrici II, p. 149 sqq.

18) Recte hoc etiam perspexit Ulrici II, p. 179.

satis miraremur, nisi illum, quem auloediae victoriam reportasse tradunt, nomis auloedicis usum esse in ipso epigrammate inesset. *Μέλεα* autem licet plerumque latiori sensu dicantur, ita ut omnia carmina cum instrumentis musicis conjuncta et nomos ipsos complectantur [19]), tamen ita quoque elegis opponi possunt, ut alii qualescunque sint cantus, qui ad certum nomorum genus non pertineant [20]). At dicere aliquis possit, non injuria Pausaniam *ἐλεγεῖα* dixisse videri carmina, quae in epigrammate ipso *ἔλεγοι* dicta sint, qùum Graeci varia poeseos genera secundum formam metricam ita distinxerint, ut *ἔπος* carmina hexametris composita, *ἴαμβος* et *ἐλεγεία* quoque certa metrorum genera, *μέλος* reliquas omnes diversas metrorum species comprehenderet [21]), itaque *ἐλεγεῖα* et *μέλος* saepius inter se opposuerint [22]). Recte, sed nunquam *ἔλεγοι* et *μέλεα* illo sensu inter se opponùntur, et quum locus, de quo agimus, alio modo bene explicari possit, Pausaniae profecto auctoritas nos movere non potest, ut eam explicationem, quae veterum scriptorum usu non confirmatur, praeferamus. Nam apud priorum certe aetatum scriptores vox *ἔλεγος* nunquam eo sensu exstat, ut metri aliquid insit; et licet postea eo modo usurpatum sit, ut ne tristis quidem argumenti notio inesset [23]), inde tamen de proprio significatu conjecturam facere non licet. Aliter Franckius judicat, qui vocem *ἔλεγος* significare lugubre carmen

---

19) Strab. IX, p. 421, C. Procl. l. c. p. 380 Gaisf.

20) Verba *νόμος* et *μέλος* distinguere videtur Pollux Onomast. IV, 78 sq. *μέλος δὲ, Καστόρειον μὲν, τὸ Λακωνικὸν ἐν μάχαις . . ., Ἱεράκιον δὲ, τὸ Ἀργολικόν· νόμοι δὲ, Ὀλύμπου καὶ Μαρσύου, Φρύγιοι καὶ Λύδιοι.* Opponuntur etiam inter se *μέλη Καρικὰ* et *ἔλεγοι Ἑλληνικοὶ* ab Eustath. ad Iliad. p. 1372: *Ἦσαν γὰρ καὶ ᾠδαὶ θρηνητήριοι, ὁποῖα ὕστερον καὶ τὰ λεγόμενα μέλη Καρικὰ καὶ οἱ Ἑλληνικοὶ δὲ ἔλεγοι ὅ ἐστι θρῆνοι, οἳ μετ᾽ αὐλοῦ, φασὶν, ᾖδοντο.*

21) Procl. p. 376: *καὶ τὸ μὲν διηγηματικὸν ἐκφέρεται δι᾽ ἔπους ἰάμβου τε καὶ ἐλεγείας καὶ μέλους.*

22) Cf. Athen. XIII, p. 597, A.

23) Erycii Epigr. XI, 4, quem locum Franckius indicavit in Addendis ad

distichis compositum contendit[24]), sed nullo loco demonstravit. Quae opinio ne ad nihilum recidat, in loco, quem ex Euripidis Iphigenia in medium protulimus, pro ἐλέγοις scribi jubet ἐλελεῦ, quod neque anapaesti spondiaci, quibus lamentetur Iphigenia, neque inconditi clamores ἒ ἒ hoc nomine appellari possint[25]); in eo, qui exstat in Troadibus, ubi cum Seidlero legit ἐπιοῦσ' αἰεὶ δακρύων ἐλέγους, Hecubam optare censet, ut per mentis agitationem liceat sibi querelas elegis temperare, ac molliore cantu lenire dolores, semperque se dicere in eo esse, ut canat elegos, i. e. disticha elegiaca, pro anapaestis[26]); de Aristophanis loco dicit, avibus cujusvis metri carmina tribui posse[27]). At neque audaciam in corrigendo priore loco Euripideo, neque quaesitam alterius explicationem quisquam probabit, in Aristophanis autem loco satis perspicuum esse videtur lusciniae tribui non posse carmina distichis elegiacis composita, posse vero modos musicos querulos, quos etiam μέλη, quae illo loco cum ἐλέγοις componuntur, significare Franckius ipse vidit. Grammatici quidem plerique non tam accurate loqui solent, ut ex iis hac de re judicari possit, attamen neque ii, exceptis posterioribus, qui omnia confundunt, dicunt, in voce ἔλεγος ipsa metri significationem inesse.

De lugubri autem hujus vocis significatu grammaticorum auctoritas, veterum scriptorum locis accedens, quum propter omnium consensum, tum eam ob causam non est spernenda, quod, nisi hoc e certis fontibus hausissent, quidvis aliud potius conjecissent, quum antiquissima, quae servata erant, carmina hexametris pentametrisque composita non essent lugubris argumenti[28]). Idem judicium variis rationibus,

pag. 41. Praeterea Welckerus (l. c. p. 430) alium ejusmodi locum profert Callimachi frg. 121 (cf. Schneidewin. ad Simoni reliq. p. 104), ubi tamen dubitari potest, quo sensu accipienda sit vox ἔλεγοι.

24) Pag. 41.

25) Pag. 45.

26) Pag. 63.

27) Pag. 62.

28) Eodem redit Franckii sententia, de qua v. supra p. 8.

quibus vocis ἔλεγος radicem constituere tentaverunt, subest. Sunt enim, qui eam ad εὖ λέγειν referant, quod elegis homines mortuos laudare soleant [29]); quam notationem pertinere ad grammaticorum commenta perspicuum est, quum talem mutationem fieri in componendis vocabulis, per linguae leges non liceat. Multo minus etiam refutatione dignae sunt aliorum grammaticorum sententiae, qui vocem ab ἐπιλέγειν derivant [30]), vel ab ἐλεγαίνειν, quod idem sit ac παραφρονεῖν [31]), vel a muliere quadam libidinosa, cui Elegeidi nomen fuerit [32]). Draco Stratonicensis [33]) a verbis ἔλεος et γόος originem nominis repetit; neque vero hinc illa forma prodire potuisse videtur. Quid grammatici sibi indulserint in etymologiis quaerendis, etiam Diomedis, Victorini et Scholiastae ad Dionysium Thracem loci docent, ubi fuisse audimus, qui ἐλεγεῖα idem esse quod ἐλεεῖα et ab ἐλεεῖν descendere di-

---

29) Orion. Theb. p. 58: Ἔλεγος, ὁ θρῆνος, διὰ τὸ δι' αὐτοῦ τοῦ θρήνου εὖ λέγειν τοὺς κατοιχομένους . . . . . οὕτω Δίδυμος ἐν τῷ περὶ ποιητῶν. Cf. Procl. ap. Phot. l. c. (v. p. 13. n. 41). Etym. Magn. s. v. ἔλεγος. Diomed. p. 481 seq. Mar. Victorin. p. 2558. Putsch. Schol. ad Dionys. Thrac. in Bekkeri Anecdd. p. 750: διὸ καὶ καλεῖται ἐλεγεῖα, οἱονεὶ ἐλεεῖα, τοῦ γ ἐκθλιβομένου, παρὰ τὸ ἐλεεῖν τὸν τετελευτηκότα· ἢ εὐλεγεῖα, παρὰ τὸ εὖ λέγειν τὸν ἀποβιώσαντα.

30) Etym. M. s. v. ἐλεγεῖα· ὅτι ἐπιλέγεται τῷ ἑξαμέτρῳ τὸ πεντάμετρον.

31) Suidas. Etym. M. s. v. ἐλεγαίνειν.

32) Ab his, sicut a multis lexicographorum glossis, manum abstinere praestat quam quibuslibet conjecturis operam dare, quum rei natura ea sit, ut, nisi alia accedant, ex ipsis locis nihil, quod veri specie commendetur, colligi possit. Neque quae Welckerus (l. c. p. 430) de his nominibus monet, veri similitudinem prae se ferre videntur. Ceterum memoratu dignum est, aliam quoque mulierem intemperantem ac plane furiosam, Proeti filiam, *Elegam* dici ab Aelian. Var. Hist. III, 42.

33) Drac. Strat. p. 161. Hermann.: Τὸ ἐλεγεῖον μέτρον παρωνομάσται ἀπὸ τοῦ ἐλέγου ὃ σημαίνει παρ' Ἀττικοῖς τὸν θρῆνον, ἀπὸ τοῦ ἐλέου καὶ γόου παραγομένου. Cf. Etym. M. ἐλεγεῖα.

cerent; quanquam haec sententia a recentioribus quibusdam non omnino rejecta est, qui γ, quod e grammaticorum locis mere arbitrio intrusum esse videbatur, e digammate explicare student [34]), quae explicatio praeterquam quod nullo argumento adjuvatur, eo minus placet, quum, utrum digamma vetus etiam in γ mutatum sit, an potius ejusmodi exempla lexicographorum inscitiae sint tribuenda, admodum dubium sit [35]). Nisi vero hoc modo fieri potuit, omnino non intelligitur, quam ob causam γ intersertum sit. Quae apud Theodosium grammaticum exstant [36]), corrupta esse videntur; latere tamen videtur in iis ea notatio, quae non solum veterum, verum etiam recentiorum plurimorum assensum tulit, quibus in ἒ ἒ λέγειν radix inesse visa est. Ea forsitan jam Euripidi obversata est, ubi ἐλέγοις ἒ ἒ conjungit [37]), tum Ovidio, ubi elegiae ex vero nomen esse dicit [38]); commemorant eam Eustathius, Suidas, Etymologicum Magnum, Scholiastae complures, Plotius [39]); inter recentiores hanc

---

34) Haec sententia est Paldami (Römische Erotik p. 9): *Die wahre Ableitung scheint mir von ἔλεος, Mitleid, zu sein, indem ein γ entweder als äolisches Digamma, oder schlechtweg als ein die Bedeutung modificirender Consonant eingeschoben wurde.* Cf. Zimmermanni Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft. 1834. p. 957. Etiam Boeckhius Ulricio teste (II, p. 178) ἔλεγος antiquissimum verbum esse arbitratur, idem quod ἔλεος, verum non Graece, sed Lydice formatum, quod quid sit equidem non assequor.

35) Cf. Taylor. lectt. Lysiac. c. IX. in Reiskii orator. Graec. T. VI, p. 284 sq. Illud defenditur a Buttmanno (Lexil. II, p. 161) et Coracio (Ἄτακτα. p. 264).

36) Theod. p. 59. Götting.: εἴρηται δὲ τὸ ἐλεγεῖον ἀπὸ τοῦ αἶ καὶ ἐπαινεῖν ἐπιταφίους τοὺς τεθνηκότας. Grammatici sententia esse non potest, vocem ἔλεγος ab αἶ αἶ et ἐπαινεῖν esse derivandam, quod Bachius dicit (p. 1100), quum forma inde nullo modo explicetur, neque quid sibi velit ἐπιταφίους illud intelligatur. Locus corruptus est; forsitan post αἲ αἲ aliquid excidit. Illud αἲ αἲ, si pronuntiationem spectamus, nihil est nisi ἒ ἒ in vulgari notatione.

37) Eurip. Iph. Taur. 145.

38) Ovid. Amor. III, 9, 3.

39) Eustath. ad Odyss. p. 1678. Suid. ἔλεγος. Etym. M. ἐλεγεῖα et

etymologiam ceteris praetulerunt Vossius, Souchaeus, Boettigerus, Schneiderus, Franckius, licet suspectam esse dicat, Osannus, Welckerus, denique G. Hermannus; contra eam locuti sunt Bachius et Paldamus, qui Franckii suspicionem e forma sumtam susceperunt, et Ulricius [40]), qui coacti aliquid inesse in hac notatione, eamque notioni ejus, quod sit λέγειν, contrariam esse arbitratur, quippe quod mentis potius actionem quam animi motum significet. At quum λέγειν nihil sit nisi loqui, pronuntiare, non magis ad mentem quam ad sensum spectat, immo in iis omnibus locum habet, quae pronuntiantur; gravior est dubitatio e grammaticae legibus sumta, neque tamen, ut videtur, ita comparata, ut removeri nequeat. Nam quod dicunt ex analogia verborum παλίλλογος, κακόλογος, φιλόλογος et quae sunt generis ejusdem, ἔλογος potius dicendum fuisse quam ἔλεγος, aliquid discriminis inter haec verba intercedere videtur; neque enim ἔλεγος ita compositum est ex ἒ et λέγειν, ut suam utrumque vocabulum significationem teneret, sed eodem modo ortum esse videtur, quo ex aliis exclamationibus carmina, in quibus locus illis erat, nomen duxisse certum est [41]); itaque, quum non tam ex ἒ et λέγειν compositum, quam e lamentandi formula ἒ λέγε ortum sit verbum ἔλεγος, vocalis ε in ο non mutata tandum abest ut offendat, ut mutatio vix locum habere potuerit. Neque praetermittenda est onomatopoeia in repetito ε conspicua, quam in Graecis verbis formandis non parvi esse momenti satis constat. Accedit praeterea aliorum verborum, quae tribus syllabis constant, analogia, e quorum numero nostro simillimum est ἔλεγχος, ubi ex usu ceteroquin recepto dicendum erat ἔλογχος [42]). Lugendi autem formulam ἒ λέγε non absonam esse neque inter gram-

---

ἔλεγος. Schol. ad Arist. Avv. 218. ad Dion. Thr. p. 750. Cruq. et Porphyr. ad Hom. Od. I, 33, 2. Plot. d. metr. p. 2634. Cf. Santen. l. c. p. 305.

40) T. II. p. 101.

41) Cf. Welcker. l. c. p. 488. V. supra p. 14.

42) Cf. Buttmann. Gramm. §. 119, 27. T. II, p. 317.

maticorum commenta referendam, similis docet apud Aeschylum obvia: *αἴλινον, αἴλινον εἰπέ* [43]). Quae quum ita sint, satis probabile esse videtur, elegi nomen ab *ἒ λέγε* esse deducendum, siquidem omnino in talibus rebus ultra conjecturam incertam progredi licet. Nam quae restant aliorum explicationes, vel linguae consuetudini contrariae sunt, vel formam non omnino explicant, qualis est illa, quam Riemerus et Ulricius probaverunt, de verbo *ἄλγω* cogitantes, cujus forma secundaria *ἔλγω*, quam Ulricius fingit, non exstat, et cui cum verbo *ἀλέγω*, quod ille quasi medium intercedere arbitratur, forsitan ne stirps quidem communis est; fuisse autem vocabulum *ἔελγος*, unde per transpositionem *ἔλεγος* ortum sit, Ulricio vix quisquam concedet. Altera sententia est Passowii et Bachii, indicata jam a Souchaeo [44]), de interjectione qualis sit *ἐλελεῦ* cogitandum esse; at inde ipsa forma, quae est *ἔλεγος*, non explicatur, neque Bachio dicendum erat, e vocabulo *ἐλελεῦ* ipso vocem *ἔλεγος* oriri potuisse [45]).

Ex iis, quae quum de veterum usu et testimoniis, tum de notatione verbi *ἔλεγος* disputata sunt, certum esse videtur, recte grammaticos dixisse in eo notionem esse *θρήνου πρὸς αὐλὸν ᾀδομένου* [46]); neque vero idem cadit in verba *ἐλεγεῖον* et *ἐλεγεία*, quae ab illo derivata esse manifestum est. Quorum verborum formam si spectamus, *ἐλεγεῖον* proprie adjectivum est, et hoc modo haud raro ab antiquis scriptoribus usurpatur [47]); neque vero minus formam *ἐλεγεία*

---

43) Agamemn. v. 121. Dind.

44) L. c. p. 336.

45) V. supra pag. 10. n. 33.

46) Cf. Eustath. ad Iliad. p. 1372., Suid. s. v. *ἔλεγος*. Franckius (p. 124 sq.) negat elegos cum tibiis conjunctos fuisse, itaque et grammaticos sua ratiocinia esse secutos, et alios locos corruptos esse dicit.

47) Masculinum exstat in locutionibus *ἐλεγεῖος ποιητής*, *ἐλεγεῖος στίχος*, femininum certum non est, quum apud Strab. VIII, p. 362 vox *ποίησις*, quae post *ἐλεγεία* additur, e glossa orta esse videatur (cf. Bach. Tyrt. p. 52), neutrum saepissime invenitur. Cf. Franck. p. 50. — De accentu notandum est, apud Aristid. d. Mus.

proprie adjectivam esse, vel accentus prodere videtur, quum e substantivorum quae syllaba εια terminantur numero, praeter ea, quae ab adjectivis in ης exitum habentibus descendunt, ea sola formam paroxytonam habeant, quae ad verba in ευω cadentia referri possunt. Supplendum igitur est ad ἐλεγεῖον ποίημα vel μέτρον, quod nonnunquam additur [48]), ad femininum ἐλεγεία ᾠδὴ vel ποίησις. Franckius [49]) quidem non opus esse ellipsi censet, quum ἐλεγεῖον per se significet quidquid elegiacum est sive hexametro et pentametro constat, id quod concedi nequit, nisi in ipso verbo ἔλεγος hexametri cum pentametro conjuncti notio inest. Τὸ ἐλεγεῖον μέτρον igitur proprie est id metrum, quo ἔλεγοι includuntur, sicut ἡρωϊκὸν dicitur id, quo carmina heroica componi solent. Si vero veterum scriptorum vestigia sequimur, in primis quae exstant exemplis nihil elegorum querulorum inest; neque enim invenitur ἐλεγεῖον nomen ante Thucydidem [50]), qui epigramma tripodi a Pausania Delphico oraculo post Persas devictos dedicato inscriptum ita appellat, unde apparet, jam illa aetate nihil nisi formam hexametri cum pentametro conjuncti hac voce notatam esse; idem sequitur e Platonis loco [51]), ubi Theognidis carmina ἐλεγεῖα dicuntur, et luculentissimum hujus rei testimonium apud Aristotelem [52]) exstat, homines poetis appellationem non propter imitationem, sed propter metrum impertire dicentem. E grammaticorum quoque numero ii certe, qui accurate lo-

---

p. 51 extr. (post Heph. ed. Gaisf. p. 195.) scribi ἐλέγειον, nisi typothetae error est.

48) Drac. Strat. l. c. — Aelian. V. H. I, 17 habet δίστιχον ἐλεγεῖον.

49) Pag. 54.

50) Thuc. I, 132. Epigrammatis auctor erat Simonides; cf. Schneidewin. Simon. reliq. p. 186. tit. CXCVIII.

51) Plat. Men. p. 95. D.

52) Poet. c. 1, §. 10. Πλὴν οἱ ἄνθρωποί γε συνάπτοντες τῷ μέτρῳ τὸ ποιεῖν, τοὺς μὲν ἐλεγειοποιοὺς ὀνομάζουσιν, οὐχ ὡς τοὺς κατὰ τὴν μίμησιν ποιητὰς, ἀλλὰ καὶ κοινῇ κατὰ τὸ μέτρον προσαγορεύοντες. Cf. Franck. Call. p. 58 sqq. Bach. p. 1097.

quuntur, verbum ἐλεγεῖον ad solum metrum referunt, et optimi quidem non distichum hexametro ac pentametro constans, sed solum pentametrum ἐλεγεῖον appellant [53]), ut Aristides Quintilianus [54]), Hephaestio [55]), Draco Stratonicensis [56]), Theodosius [57]), unde etiam explicatur nomen ἡρωελεγεῖον a grammaticis nonnullis usurpatum [58]). Quaeritur tamen, quum jam Thucydidem voce ἐλεγεῖον totum distichum significare viderimus, et quum a bonis poetis pentameter nunquam per se solus positus sit, sed arctissime cum hexametro cohaereat [59]), an hic usus iis demum temporibus sit tribuendus, quibus docti grammatici ad rationem atque praecepta artem metricam revocare coepissent, et pentametri dactylici, qui dicitur, per se tractandi nomen desiderarent [60]). Critiae aetate hunc usum jam fuisse ex ejus loco non sequitur, ubi, quum Alcibiadis nomen in distichum dactylicum cogere non posset, iambico utitur [61]):

Καὶ νῦν Κλεινίου υἱὸν Ἀθηναῖον στεφανώσω,
Ἀλκιβιάδην νέοισιν ὑμνήσας τρόποις·
Οὐ γάρ πως ἦν τοὔνομ᾽ ἐφαρμόζειν ἐλεγείῳ,
Νῦν δ᾽ ἐν ἰαμβείῳ κείσεται οὐκ ἀμέτρως.

---

53) Cf. Santen. ad Ter. M. p. 306. Bach. l. c. p. 1099.

54) Pag. 51 extr. Meibom.: Τομαὶ δὲ εὐπρεπεῖς αὐτοῦ (τοῦ ἑξαμέτρου) πρώτη μὲν ἡ μετὰ δύο πόδας εἰς συλλαβήν, ἣ καὶ διπλασιαζομένη ποιεῖ τὸ ἐλεγεῖον.

55) Encheir. p. 92. Gaisf.: Τοῦ δὲ δακτυλικοῦ πενθημιμεροῦς δὶς λαμβανομένου γίνεται τὸ ἐλεγεῖον. Cf. Schol. ad h. l.

56) Pag. 161: Σύγκειται δὲ (τὸ ἐλεγεῖον μέτρον) ἐκ δύο δακτυλικῶν πενθημιμερῶν.

57) Pag. 59: Τὸ μὲν ἐλεγεῖον εἷς ἐστι στίχος πεντάμετρος. Cf. Schol. ad Dion. Thr. p. 749 sq. Eustath. p. 1673. ὁ ἐλεγεῖος στίχος. Bekker. Anecdd. T. III, p. 1383. Consentiunt cum his nonnulli grammatici Latini.

58) Cf. Santen. l. c. p. 306 sq.

59) Qua de re postea accuratius dicetur.

60) Cf. etiam Bach. p. 1110 sqq.; aliter idem judicat in Jahn. Jahrbb. l. c. p. 91.

61) Frg. eleg. 3. p. 44 sq. Bach. Bachius (Schulztg. p. 1099) ex hoc loco luce clarius apparere dicit, voce ἐλεγεῖον pentametrum significari.

Etenim ἐλεγεῖον h. l. rhythmum hexametri cum pentametro conjuncti significare videtur, neque obstat, quod ἰαμβεῖον unus versus iambicus dicitur; nam utriusque non eadem ratio est, quum alterum versuum genus κατὰ σύστημα, alterum κατὰ στίχον componatur, ita ut pentameter per se positus absolutum numerum non efficiat, quod in iambico versu aliter se habet.

Qui solum pentametrum ἐλεγεῖον appellant, verbum ἐλεγεία ab eo quod est ἐλεγεῖον ita distinguunt, ut hoc unus pentameter sit, illud totum carmen hexametris et pentametris alternis compositum [62]), quanquam etiam sunt inter grammaticos, qui ἐλεγεία eodem sensu dicant quo ἐλεγεῖον [63]). Si vero usum, qualis apud pleroasque scriptores reperitur, respicimus, ἐλεγεῖον est distichum, ἐλεγεία carmen distichis scriptum, id quod recto jam perspexerat Franckius [64]). Illa tamen formula, quam idem constituit [65]), ἐλεγεῖον semper unum distichum esse, ἐλεγεῖα disticha sive uno sive pluribus comprehensa carminibus, licet in plurimos locos cadat, non ubique locum habet, quod quum ipse intelligeret, pro more suo locos re vera repugnantes corrigendos esse censebat. Nonnullos autem injuria repugnare putari dicit, e quorum numero sit locus incerti scriptoris de Aeschyli vita [66]), quo plerique elegiam lugubrem de iis, qui in pugna

---

62) Theodos. p. 59: Διαφέρει δὲ ἐλεγεῖον ἐλεγείας· ὅτι τὸ μὲν ἐλεγεῖόν εἷς ἐστι στίχος πεντάμετρος, ἐλεγεία δέ ἐστι τὸ ὅλον ποίημα ἔχον ἀμοιβαῖον τὸ μέτρον καὶ πεντάμετρον καὶ ἑξάμετρον. Idem iisdem fere verbis docet Schol. ad Dion. Thr. l. c.

63) Hephaest. l. c.: Τὸ μὲν δεύτερον (μέρος) ἀεὶ διπλασιαζόμενον τὴν ἐλεγείαν ποιεῖ, nisi cum Santenio ad Ter. M. p. 287. 306 scribendum est ἐλεγεῖον. Procl. ap. Phot. l. c. hexametrum cum pentametro conjunctum ἐλεγείαν esse dicit, hoc contra loquendi usum quare Bachio (Jahn. Jahrb. l. c. p. 92) corrigendum videtur. Forsitan idem usus in Plut. Symp. I, 10, 3 latet.

64) Callin. p. 41; cf. Bach. p. 1099 sqq.

65) Pag. 54; vide supra p. 8.

66) Pag. XIV. Dind.: κατὰ δὲ ἐνίους ἐν τῷ εἰς τοὺς ἐν Μαραθῶνι

Marathonia ceciderant, significari arbitrantur, qua Aeschylus a Simonide victus sit certamine instituto; immo sermonem esse de uno disticho, quale celeberrimum illud ejusdem Simonidis sit in Spartanos ad Thermopylas occisos. At vero de tali epigrammate sermonem non esse, non solum hoc ipsum Simonidis exemplum cum verbis, quae in Aeschyli vita de natura *τοῦ ἐλεγείου* adduntur, comparatum docet [67]), sed etiam manifesto sequitur e Plutarchi loco, quo *αἱ Αἰσχύλου εἰς τὴν Μαραθωνίαν ἐλεγεῖαι* commemorantur [68]). Itaque grammatici illius quisquis fuerit locum re vera Franckii praecepto adversari statuendum est, quod tamen haud magni est momenti [69]). Falso etiam huc referri Franckius ait Pausaniae locum, ubi *ἐλεγεῖον ἐς Εὐρυτίωνα Κένταυρον ὑπὸ Ἑρμησιάνακτος πεποιημένον* attingit [70]), quae verba non cum Ilgenio [71]) et Ruhnkenio [72]) de elegia, sed de disticho in Eurytionem Centaurum, id est in statuam ejus, accipienda esse contendit. Quod licet prorsus absonum esse dici nequeat, tamen quum Oleni urbis accuratiorem in illo *ἐλεγείῳ* mentionem factam esse appareat, itaque admodum probabile sit, Hermesianactem de eadem re versus fecisse, quam

---

τεθνηκότας ἐλεγείῳ ἡσσηθεὶς Σιμωνίδῃ· τὸ γὰρ ἐλεγεῖον πολὺ τῆς περὶ τὸ συμπαθὲς λεπτότητος μετέχειν θέλει, ὃ τοῦ Αἰσχύλου, ὡς ἔφαμεν, ἐστὶν ἀλλότριον.

67) Cf. Schneidewin. ad Simon. rel. p. 80. Bach. d. lugubr. Graec. eleg. spec. II, p. 18.

68) Plut. Sympos. I, 10, 3. *Εἰς τὴν Μαραθωνίαν* Th. Bergkius conjecit (Zimmermanni Zeitschrift. 1835 p. 952) pro librorum scriptura *εἰς τὴν μεθορίαν*; Welckerus (Syll. Epigr. p. 143 sqq.), qui locum illum de epigrammate accipit, Plutarchi locum corruptelam passum esse negat; Schneidewin. conjicit *εἰς τὴν* vel *τὸν Μαραθῶνα*, Bach. *εἰς τοὺς ἐν Μαραθῶνι* sc. *τεθνηκότας*.

69) Neque igitur cum Bachio locus corrigendus est; nonnullos enim inferiore aetate a vulgari usu recessisse et alia exempla docent et quis miretur?

70) Paus. VII. 18, 1.

71) Opusc. p. 256. 260.

72) Epist. crit. II, p. 284.

Apollodorus et Anonymus de duodecim Herculis certaminibus commemorant [73]), tale argumentum majus uno disticho spatium explevisse neque epigrammati aptum esse videtur; accedit, quod de hujus generis epigrammatis ab Hermesianacte confectis nihil aliunde constat. Quare verisimile certe est, Pausaniam h. l. de majore carmine loqui [74]), eo magis, quod Pausaniam ejus usus, quem Franckius solum agnoscit, non semper tenacissimum fuisse mox videbimus. — Sed alii etiam sunt loci, qui, quum aperte canoni illi contrarii sint, Franckio corrigendi videntur. Talis exstat in Plutarchi personati vita Homeri [75]), quo *ἐλεγεῖον* epigramma dicitur e compluribus distichis compositum, ubi Franckius duo postrema disticha ab aliena manu addita esse affirmare audet. Deinde Strabonis locum [76]) in medium profert, quem et ipsum glossemate corruptum esse censet; nec minus Scholiastae Pindarici verba e Theopompo desumta [77]) corrigit. Quum e tanto locorum corrigendorum numero jam appareat, quam temeraria sit Franckii ratio, ne omnes quidem locos excussit contra sententiam suam adversantes. Nam quod e Plutarchi et Scholiastae Pindarici locis sequitur, epigramma compluribus distichis constans nihilo minus *ἐλεγεῖον* dici

73) Cf. Bach. Philetae Coi, Hermesianactis Colophonii atque Phanoclis reliquiae. Hal. Sax. 1829. p. 101 sq., qui illud *ἐλεγεῖον* de uno Leontii carminis disticho accipit, in quo tamen ipse illam rem tractatam esse censet, id quod vix fieri posse videtur.

74) Eadem Kleinii est sententia; cf. Schulzeitung 1833. N. 144. p. 1149 sq.

75) Vit. Hom. p. 147. Ernesti: *Εἰσὶ δὲ οἳ καὶ Κολοφώνιον αὐτὸν ἀποδείκνυνται, μεγίστῳ τεκμηρίῳ χρώμενοι πρὸς ἀπόδειξιν τῷ ἐπὶ τοῦ ἀνδριάντος ἐπιγεγραμμένῳ ἐλεγείῳ. ἔχει δὲ οὕτως·* Sequntur tria disticha.

76) Strab. XIV, p. 683: *Ἤδη οὖν πάρεστι σκοπεῖν τὴν ῥαθυμίαν τοῦ ποιήσαντος τὸ ἐλεγεῖον τοῦτο, οὗ ἡ ἀρχή·* Sequitur distichum et paullo post alterum. Franckius vv. *τὸ ἐλεγεῖον* glossema esse vult.

77) Schol. Pind. Olymp. XIII, 32. p. 273. Boeckh.: *Θεόπομπος δέ φησι . . . εἶναι δὲ καὶ νῦν ἀναγεγραμμένον ἐλεγεῖον εἰσιόντι εἰς τὸν ναὸν τῆς ἀριστερᾶς χειρός.* Sequuntur duo disticha, quare Fr. Theopompum pluralem srcipsisse contendit.

posse, id confirmatur Pausaniae consuetudine, qui, etsi nonnullis locis Franckii praeceptum observat, haud rarius singulari numero utitur [78]). Idem apud Diodorum Siculum invenitur [79]), et vix dubitari potest, quin plures etiam loci quaerenti suppetant, ita ut epigramma, sive unum distichum sit sive pluribus constet, ἐλεγεῖον dici certum sit. Idem vero etiam de elegia, quae epigramma non esset, inferioris aetatis scriptores sibi indulsisse, Strabonis, Pausaniae et grammatici illius incerti loci docere videntur [80]).

Sed magis etiam nonnulli a vulgari loquendi usu recesserunt, qui, quum epigrammata sepulcralia plerumque distichis elegiacis constarent et ἐλεγεῖα appellarentur, per abusum hoc nomen ad ea quoque epigrammata transferrent, quae aliis metris scripta essent. Dio Chrysostomus enim epigramma Sardanapali epitaphio inscriptum, quod totum hexametris constat, ἐλεγεῖον dicit [81]), eodemque verbo Pseudo-Herodotus heroicos versus in Homeri sepulcro notat [82]), atque posteriore quidem tempore eum usum fuisse, ut ἐλεγεῖον eodem sensu quo ἐπίγραμμα dicerent, Tzetzes confirmat [83]).

---

78) Epigramma e compluribus distichis compositum ἐλεγεῖα dicit Paus. V, 20, 3; IX, 38, 3, ἐλεγεῖον V, 22, 2. 23, 6. X, 12, 3. Praeterea non modo unum et dimidium distichum plurali numero designat IV, 15, 1, sed vel unicum IV, 6, 2, quanquam hic locus ita explicari potest, ut sensus sit: carmen Tyrtaei elegiacum, in quo dicit, et q. seq. Uno loco vel solus hexameter ἐλεγεῖον appellatur (VII, 27, 2), attamen verisimile est, pentametrum, qui exstaret, ab ipso Pausania esse omissum. V. Siebelis. ad h. l.

79) Diod. Sic. XI, 14; Schneidew. l. c. p. 177.

80) Neque igitur vituperandus Bachio erat Schneidewinus, quod vocis ἐλεγεῖον significatum pedetentim latius evagatum esse, ita ut carmen elegiacum esse possit, dixerat ad Simon. p. 80.

81) Orat. IV. de regno. p. 185 seq. Reisk. Cf. Naekii Choeril. p. 222.

82) Vit. Hom. c. 36.

83) Jo. Tzetz. Schol. ad Exeg. in Iliad. p. 150 seq., quem locum lacunis deformatum Franckius (p. 52) ita explet: Ἐλεγειογράφοι [δὲ οἱ] τὰ ἐν τάφοις γράφοντες [ἐπι]γράμματα, κἂν ὦσι μέτρῳ ἑτέ[ρῳ κεχρημένοι]. Cf. Is. Tzetz. Prolegg. ad Lycophr. p. 257. ed. Mueller., ubi non est cur cum Franckio (p. 17 seq.) corruptelam latere dicamus.

Praeterea Phalaris personatus carmen lugubre, de quo aliis locis verbis μέλος et μελῳδία et ὑμνῳδία utitur, ἐλεγεῖον appellat [84]), et apud Lucianum lamentationis tantum, non metri notio in hoc verbo inest [85]). Qui loci licet ad antiquissimum usum et propriam vim vocis ἔλεγος revocari possint, tamen quum Thucydidis jam aetate querelae notionem a verbo ἐλεγεῖον prorsus abfuisse viderimus, probabilius est, e solemni distichorum in epigrammatis sepulcralibus usu nomen in omnia epigrammata sepulcralia, quamvis aliis metris composita, translatum explicandum esse; hominis illius, qui Phalaridis nomen prae se fert, errorem ne curremus; Lucianus denique per jocum de carmine elegiaco loquitur, ubi querelas spectat, quum ea aetate maxime a Romanorum poetis carmina lugubria hoc metro facta essent.

Etenim Latini poetae flebilem elegiae indolem saepe at-

---

84) Epist. XX. Hic locus acerbe in Boyleum invehendi occasionem praebuit Bentlejo (resp. ad Boyl. p. 278 ed. Groning. p. 430 Lips.), qui licet ἐλεγεῖον epigramma dici etiam sine pentametro concedat, tamen ἐλεγεῖον et μέλος, lyricum poema, idem carmen appellari posse praefracte negat. Lennepius contra ad l. c. Phalaridem defendit, quippe qui haud dubie epitaphium voluerit, metro incerto, μέλος autem et μελῳδίαν quodvis carminum genus dici solere contendit, atque cogitandum esse h. l. de ἐλεγείῳ μεμελοποιημένῳ, sive re vera elegiam velis, sive epitaphium alio versuum genere conscriptum, sive denique ἔπη, qualia Stesichorum μεμελοποιηκέναι Plut. d. Mus. p. 1132, B. testis sit. At si de ἔπεσι cogitasset Sophista ille, hoc ipsum contra sermonis consuetudinem esset, neque de epitaphio sermo esse potest, quod cum musicis modis non jungebatur, sed siquidem ullo modo defendi potest verbum h. l. usurpatum, carmen elegiacum lugubre est, quanquam id certum esse videtur, a scriptoribus bonae notae hunc usum abesse, quum ἐλεγεῖα et μέλη inter se opponi soleant; praeterea non eodem redeunt μέλη ubi carmina lyrica et ubi modi musici sunt. Boettiger. (l. c. p. 339) quoque proprio ἐλεγείων significatu Phalaridem defendit, cui obloquitur Franckius p. 61 sqq. Quod Fr. (p. 58) suspicatus est, ἐλεγεῖον mutandum esse in ἐπικήδειον, Schaefer. ad Phal. l. c. rejicit, tenebrioni errorem suum relinquendum esse recte judicans.

85) Luc. Tim. 46: Καὶ μὴν ἐλεγεῖά γε ᾄσῃ μάλα περιπαθῶς ὑπὸ ταύτῃ τῇ δικέλλῃ.

tingunt; nihilo minus et ipsi hoc verbo nonnisi de hexametris pentametrisque alternis utuntur, atque ea in re vel ultra Graecorum usum progressi sunt, quod elegorum nomen non ad argumentum tantum, sed ad ipsum metrum referunt, cujus rei notissimum exemplum sunt Horatii *exigui elegi*. *Elegia* totum carmen appellatur; num forma *elegeïa*, quae in nonnullis Ovidii locis exstat [86]), recte se habeat, dubitatur; forsitan etiam *elegia* plurali numero veteres scriptores dicebant [87]).

De adjectivorum usu in utraque lingua tenendum est, ἔλεγος pro adjectivo usurpari falso olim creditum esse [88]); Graecis adjectiva ἐλεγεῖος et ἐλεγειακὸς in usu sunt, quorum illud quidem proprie est quod ad ἔλεγος, hoc quod ad ἐλεγεῖον pertinet, sed promiscue de metro usurpantur [89]). Latini plerumque dicunt *elegiacus*, grammatici quidam *elegius* [90]).

Ex iis quae disputavimus abunde patet, elegiam veterum scriptorum sensu dici carmen hexametris ac pentametris constans, et qui contra hanc loqnendi consuetudinem adversentur loci, eos abusum potius quam usum rectum exhibere. Quare nobis quoque, ubi de veterum elegia loquimur, forma metrica respicienda est, et vituperandus est Souchaeus [91]),

---

86) Heroid. XV, 7. Amor. III, 1, 7. Remed. 379. Santenio ad Ter. p. 307 sqq. haec forma suspecta est, quippe quae ideo in textum recepta esse videatur, ne ā in fine producatur, cujus tamen productionis in Graecis verbis alia exempla exstent.

87) Siquidem apud Plaut. Merc. II, 3, 74 Camerarii libri veram lectionem exhibent, ubi in aliis est *elogia*.

88) Euripidis loco (Iph. Taur. 1091) ἔλεγον οἶτον per appositionem vel duarum locutionum conjunctionem explicandum est. Cf. Seidler. ad h. l. Franck. p. 34. Bach. p. 1101.

89) Forma ἐλεγειακὸς utuntur Dion. Hal. d. comp. voc. XXV, p. 232 (388), ubi vid. Schaefer. Athen. IV, p. 144, E. XIII, p. 597, A. Hephaest. Enchir. p. 9. Franckius (p. 34) illos more Romanorum hac voce uti dicit, sed non intelligo quo jure, quum Graeca sit et aliis ejusdem generis verbis, ut σπονδειακὸς, prorsus respondeat.

90) Apud Diomed. III, p. 502. Putsch. *elegus* pro adjectivo ponitur, sed recte, ut videtur, Franckius l. c. restituit *elegius*.

91) Mém. cit. p. 384.

qui carmen elegiacis versibus scriptum, quod neque infortunia deploret, neque tristitiam neque gaudia amantium depingat, non elegiam, sed carmen historicum aut didacticum aut quodlibet aliud versibus elegiacis constans dicendum esse arbitratur; qua in re praeter ἀνιστοϱησίαν inconstantia ei exprobranda est, quum ea quoque amatoria carmina, quae querelas non contineant, addat, licet non magis propriae verbi ἔλεγος significationi respondeant quam aliud quodcunque genus. Fecerat id Horatii secutus auctoritatem, eo majore injuria, quod Horatius ipse de forma, de versibus impariter junctis, loquitur. Neque vero minus vituperandus est Ulricius, qui elegiaci poematis nomine totam Jonum, quam dicit, lyricam poesin complectitur, ad quam etiam iambica carmina atque omnia ea genera, quae inter epicum et lyricum poema media intercedant, quin etiam fabulam Aesopeam referenda esse censet [92]). Quae tam a veterum quam a recentiorum usu abhorrentia vix tolerari posse videntur.

CAPUT III.

Quaeritur, num elegia initio lugubre fuerit carmen.

Jam quum de nomine elegiae satis dictum sit, quaeritur, unde proficiscamur de ejus origine et natura disputaturi, quae res tantum abest ut facilis sit expeditu et parvi mo-

92) Ulrici. T. II, p. 115 sqq: *Hier nehmen wir jedoch den Ausdruck in seiner weitesten Bedeutung, und begreifen darunter, abweichend vom griechischen Sprachgebrauche, nicht nur alle im elegischen Versmasse verfassten Dichtungen, sondern auch alle Arten und Gattungen der Lyrik, welche einer Seits ebenfalls in Rhythmus und Versmass eine bestimmte, stetige Einförmigkeit und Gleichmässigkeit bewahren, anderer Seits ebenfalls mehr ein durch das äussere Leben und die Aussenwelt ergriffenes und bewegtes, inneres Leben aussprechen* u. s. w.

menti, ut principem totius disputationis locum teneat. Num igitur ex iis ordiamur, quae veteres de elegiae inventore tradunt? At multi hoc vetant, quum quid inventorum nominibus tribuendum sit in Graecorum literis satis constet, ubi vel omnia ad Deos referantur, vel in tempora relegentur nostris oculis occulta, vel iis tribuantur, qui primi summam in aliqua re laudem sint assecuti. Ita hexametri inventionem aut Phanotheae aut Phemonoae, oraculi Delphici antistitis, aut Oleno aut oraculo Delphico ipsi [1]) et antiquissimo cuique poetae, cujus nomen exstabat, tribuebant, alii contra Homerum inventorem praedicabant, quamvis ipsi intelligentes, ex rerum cursu et ordine hoc fieri non posse [2]). Cujus generis in metricis et musicis rebus — instrumentorum musicorum inventores in memoriam revoces — tot exstant exempla, ut singula proferre non opus sit. Quod si plerisque displicet: unde tandem exordiamur? Siquidem alia res non est, unde elegiae originem certo cognoscere liceat, profecto ipsorum poetarum elegiacorum reliquias sequamur necesse est, ut, quibus in rebus illi hoc metro usi sint, videamus. At quid quod sunt qui alia exstare dicant, unde in his non esse subsistendum appareat, immo cogamur, ut argumentum ab iis diversum primarium ducamus? Simplicissimum enim iis videtur, formam elegiacam ab elego, threno ad tibiam cantato, non separari, ita ut elegiaci carminis initio lugubre fuerit argumentum, quam vim posteriorum quoque aetatum scriptores adeo sensisse ajunt, ut Solo et Theognis sua ipsorum, Herodotus Solonis carmina non ἐλεγεῖα, sed ἔπη dicerent; praeterea grammaticos veteres elegiam ad naenias retulisse, et huic argumento ipsam formam, hexametri cum pentametro conjunctionem, aptam esse; denique tibiarum cantum threneticum et carminibus exsequialibus maxime

---

1) Cf. Santen. ad. Ter. Maur. p. 139 sq. Fabricii Biblioth. Gr. I, p. 207. 210. Harles.

2) Vellej. Paterc. I, 5: *Neque enim quemquam alium, cujus operis auctor fuerit, in eo perfectissimum praeter Homerum et Archilochum reperiemus.*

proprium ab antiquissimis inde temporibus elegiaca carmina esse prosecutum. Haec fere sunt, quae ab antiquioribus Viris Doctis proferri solebant et nunc denuo proferuntur [3]), neque parvi momenti esse videntur; sed accuratius rem investigemus.

Primum igitur videamus, num propria nominis ἔλεγος vis nos cogat, ut carmina distichis elegiacis composita principio lugubria fuisse ponamus. Habet certe haec res, quo se commendet; neque enim improbabile esse videri possit, initio ἐλέγους hexametris et pentametris compositos esse, et inde hanc formam ipsam nomen accepisse, quod postea, quum ad alia argumenta transiret, non sit mutatum. Eadem iamborum ratio est; nam quum ἴαμβοι proprie sint convicia, factum est, ut postea forma ipsa, quae verborum contumelias continere solebat, iambica appellaretur, licet prorsus diversum argumentum in ea inesset [4]). At quid? num revera carmina hexametris penta-

3) Quae pro ista opinione proferri possunt, optime, quamvis breviter, exposuit Welckerus l. c.

4) Non absona est Riemeri notatio, qui hanc vocem a v. ἰάπτω descendere arbitratur; grammatici pro more suo vel ab Jambe illa, quae jocis Cererem hilarasse dicitur, vel aliis hujus nominis mulieribus, vel ab Jambo strenuo duce, qui, quum jacularetur, ex brevi accessu in extensum passum proferretur, metro nomen inditum esse tradunt. Cf. Harles. ad. Fabric. Bibl. Gr. II, p. 107. Santen. ad Ter. Maur. pag. 65 sqq. Bernhardy. l. c. p. 198. Verum vidit Arist. Poet. c. 4. Διὸ καὶ ἰαμβεῖον καλεῖται νῦν ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τούτῳ ἴαμβιζον ἀλλήλους, modo ne ἰαμβεῖον ab hac verbi ἰαμβίζειν forma derivaret. Ἰαμβίζειν explicant per ὑβρίζειν, λοιδορεῖν; cf. Schol. ad Heph. p. 158. 170. Procl. ap. Phot. l. c. Licet igitur in voce ἴαμβος proprie metri significatio non inesse videatur, tamen credibile non est, illis temporibus, quorum monumenta literaria ad nos pervenerunt, unquam carmina ludicra aliis metris conscripta iambos esse dicta, quod Welandus contendit (d. parod. Hom. script. Gotting. 1833. p. 17), nisus in ipsius Aristotelis loco (Rhet. III, 17 extr.), quamobrem Xenophanis iambos, quorum Diog. La. IX, 2, 18 mentionem facit, hexametris constitisse opinatur. — Contrariam ei, quam supra secuti sumus, rationem exhibet Procl. ap. Phot. p. 380. Gaisf.: Ἔοικε δὲ ὁ ἴαμβος τὸ μὲν παλαιὸν ἐπὶ τῶν εἰς

metrisque composita ab antiquissimis inde temporibus ἐλεγεῖα appellata sunt, ita ut ab antiquis elegis, qui hoc metro uterentur, nomen ad ipsum metrum transiisse dici possit? Immo hoc nomen non invenitur ante Thucydidis aetatem, et Solonis Theognidisque carmina ab ipsis auctoribus ἔπη dicta esse [5]), illi concedunt. Solo enim in elegia illa de Salamine recuperanda dicit [6]):

Αὐτὸς κῆρυξ ἦλθον ἀφ' ἱμερτῆς Σαλαμῖνος
Κόσμον ἐπέων, ᾠδὴν, ἀντ' ἀγορῆς θέμενος,

et Theognis ita loquitur [7]):

Κύρνε, σοφιζομένῳ μὲν ἐμοὶ σφρηγὶς ἐπικείσθω
Τοῖσδ' ἔπεσιν κ. τ. λ.

et alio loco [8]):

Ὧδε δὲ πᾶς τις ἐρεῖ· Θεύγνιδός ἐστιν ἔπη.

Sed ante omnia quaeritur, quam vim in his versibus vox ἔπη habeat. Et propriam quidem, qua nihil nisi verba significat, in Solonis certe loco inesse verisimile erit Pindari ἐπέων θέσιν [9]) comparanti, quod verbis κόσμον ἐπέων respondet et vix aliter ac de verbis arte ad carmen compositis accipi potest. In Theognidis autem locos carminum significatio magis convenit, licet ab iis quoque altera non omnino abhorreat. Sed forsitan ne hinc quidem aliquid colligere licet, si verum est, quod grammatici contendunt, quemcunque versum ἔπος dici [10]), et alii etiam exstant loci, e qui-

---

ψόγον καὶ ἔπαινον γραφομένων ὁμοίως λέγεσθαι· ἐπεὶ δέ τινες ἐπλεόνασαν ἐν ταῖς κακολογίαις τὸ μέτρον, ἐκεῖθεν τὸ ἰαμβίζειν εἰς τὸ ὑβρίζειν ὑπὸ τῆς συνηθείας ἐκπεσεῖν. Quae tamen opinio nulla re confirmatur.

5) Cf. Bach. l. c. p. 1109.

6) Solon. carm. rel. ed. Bach. p. 86. frg. 12, v. 2.

7) v. 19. Bekker. 859. Welcker.

8) v. 22. Bekker. 864. Welcker.

9) Pind. Olymp. III, 8, ubi vid. Boeckh.

10) Cf. Schol. ad Dion. Thr. p. 751. Bekker: Ἔπος τί λέγεται; πᾶς στίχος ἰαμβικός τε καὶ τροχαϊκὸς καὶ ἀναπαιστικὸς καὶ δακτυλικὸς καὶ οἱῳδήποτε ποδὶ μετρούμενος. Suid. Etym.

bus non ad hexametrum solum hoc verbum relatum esse appareat, nam et anapaestici versus ἔπη appellantur, et iambici, et vero etiam elegiaci [11]), et omnino versus vel carmina certi metri ratione non habita [12]). Franckius [13]) quidem ea tantum metra, quae nomina sibi propria nondum habuerint, a priorum aetatum scriptoribus ἔπη appellata esse contendit, serioris aetatis nonnullos alium usum secutos esse; verum non solum apud Theocritum [14]) Archilochi iambi ἔπη

M. Eustath. prooem Il. p. 3. Procl. p. 377. G. Schol. ad Arist. Eq. 39: Πᾶν γὰρ μέτρον ἔπος καλοῦσι (ita enim scribendum est). Cf. Santen. l. c. pag. 223 sqq.

11) Paus. IV, 15, 3: τὰ ἔπη τὰ ἀνάπαιστα; eadem carmina ab Athen. XIV, p. 630, F. τὰ μέλη ἐμβατήρια dicuntur, cantus ratione habita. Cf. Maxim. Tyr. Or. XXXVII, p. 439. Eustath. ad Il. γ, p. 292. Basil., quos addit Santen. p. 80. — Iambici versus ἔπη dicuntur a Galeno T. V, p. 457 ed. Basil. (T. XVII, p. 897. Kühn.) τὸ παρὰ τῷ Σιμωνίδῃ γεγραμμένον ἐν τοῖσδε τοῖς ἔπεσιν· sequuntur versus iambici. Huc etiam pertinet Procli locus cit.: ἐπεὶ καὶ τὰ τρίμετρα ἔπη προσηγόρευον. In Aristophanis locis, qui huc referri possint (Ran. 799. 881. 883. 948. 956. Eq. 37. Thesm. 419) ἔπη per verba s. dicta explicari posse, recte ostendit Franckius p. 97 sqq., licet apud poetas saepe res dubia esse possit. — Ἐλεγεῖα ἔπη dicit Diog. La. I, 4, 5. Athen. III, pag. 125, D. Asii Samii disticha ἔπη appellat. Accedunt loci apud Diogenem et Suidam haud rari, ubi singuli versus carminum elegiacorum ἔπη dicuntur. Heph. p. 22. versus elegiacos ἔπη dicit et τοῖς ἄλλοις μέτροις opponit.

12) Huc non solum ii loci, de quibus modo verba fecimus, sed alii etiam pertinent, ut Galen. T. V, p. 118. Charter. (IV, p. 319. Kühn., quem Franck. p. 78 excitat): Ὥσπερ γὰρ ἐξ Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου βραχέα προσεθέμην ὀλίγῳ πρόσθεν, ὧν ὁ Χρίσιππος ἔγραψεν, οὕτω ἐξ Ὀρφέως καὶ Ἐμπεδοκλέους καὶ Τυρταίου καὶ Στησιχόρου καὶ Εὐριπίδου καὶ ἑτέρων ποιητῶν ἐπῶν μνημονεύει παμπόλλων. De Stesichoro, cujus ἔπη Plut. de Mus. p. 1132 memorat, dubia res est.

13) Pag. 77 sqq.

14) Theocr. Epigr. XIX, 5 seq. Etiamsi autem Franckio concedamus, nomen ἴαμβος Archilocho esse recentius, Theocritum tamen ex Archilochi mente locutum esse dici vix potest. Meleagr. Epigr. CXIX, 3 sqq. huc non pertinet.

carmina distichis componi denuo coepissent, profecto non intelligitur, cur non illo ipso demum tempore ἐλεγείων nomen ortum esse statuamus. Quod vero ad iambicorum carminum nomen Welckerus provocat, jam ejus non eandem esse rationem manifestum esse videtur, quum nemo contendere possit, metrum illud primum iambicum esse dictum, quod proprios iambos contineret, deinde, quum aliam materiam reciperet, alio nescio quo nomine, denique iterum iambicum; sed nomen formae ex argumento sumtum mox formae proprium factum est et ab argumento separatum. Itaque satis probabile est, eo tempore, quo ἔπη elegiaca carmina dicebantur, ἐλεγείων nomen omnino nondum fuisse, quod quo modo et qua aetate ortum esse videatur, postea accuratius demonstrandum erit. Id certe perspicuum est, haud parvis difficultatibus laborare eos, qui elegiaca disticha ad lugubria carmina componenda principio usurpata esse dicant, neque ex nomine hujus rei argumentum iis esse repetendum.

Nullam aliam fuisse causam externam, cur grammatici antiquissimis temporibus carmina distichis elegiacis composita lugubria fuisse et postea demum alias res recepisse contenderent, nisi eam, de qua modo diximus, consentaneum est, et Welckerus ipse hanc sententiam internis maxime argumentis niti arbitratur. Exemplo sit Proclus [23]), qui, quanquam illud contendit, tamen poetam non exhibet antiquiorem Callino, quem nemo unquam carmina funebria fecisse dixit; eadem Didymi [24]) est causa, qui et ipse Callinum, Archilochum et Mimnermum de pentametri inventione certare tradit, unde apparet, eos tales tantum poetas cognitos habuisse, qui jam ad illum abusum, quem dicunt, transiissent. Neque major hac in re Horatii quam grammaticorum est auctoritas, cujus verba ne totum quidem carminis elegiaci ambitum complectuntur, sed posteriorum temporum maxime usum spectant. Si vero rationibus in rei ipsius natura positis illorum opinio nititur, profecto ejus auctoritas

---

23) V. supra pag. 13.

24) Didym. apud Orion. Theb. p. 58.

non augetur, quum isti homines non semper acutissime in talibus rebus videre soleant.

Transeamus igitur ad internum argumentum, non solum a grammaticis sed a recentioribus quoque Viris Doctis saepe in medium prolatum. Dicunt, distichi elegiaci tenorem et numerum ipsum docere, triste ejus argumentum fuisse, quippe cui haec forma optime conveniat. Didymus pentametrum quasi cum moribundo exstingui dixerat [25]), quae comparatio Welckeri aliorumque assensum tulit; sua autem quemque ratione hanc sententiam sane speciosam atque poeticam explicasse, Scholiastae ad Dion. Thr. locus [26]) docet, qui, quoniam morientes jacturam faciant, vitae scilicet, pentametros etiam pedis jacturam facere ait cum dactylico versu comparatos. Aliis aliae comparationes magis placuerunt; Romanorum poetae imparem distichi naturam maxime eligebant, in qua luderent, et Ovidius saepius elegos quasi claudicantes et propter pedum vitium levibus tantum oneribus sustentandis pares effingit [27]). Inter recentiores Herderus [28]) pentametrum ad hexametrum quasi viraginem ad heroicum maritum accedere ait, bellicam maxime elegiam spectans; Schneiderus [29]) similem comparationem exhibet, alii aliter [30]). Sed ex hac ipsa discrepantia intelligitur,

---

25) D. c.: *Οἷον συνεκπνέοντα καὶ συσβεννύμενον τοῖς τοῦ τελευτήσαντος τύχαις.* Cf. Etym. M. et Gud. *ἐλεγεία.* Procl. l. c. *ἁρμόζειν τοῖς κατοιχομένοις.*

26) Pag. 750: *Ἐπειδὴ οἱ τεθνηκότες ἔλλειψίν τινα ἔχουσιν, ἤγουν τοῦ ζῆν, τούτου χάριν καὶ τὰ ἐλεγεῖα, ὡς ἐπὶ τοῖς τεθνηκόσι λεγόμενα, ἐλλείπουσι ποδὶ πρὸς τὸν δακτυλικὸν στίχον.*

27) Ut Amor. I, 1, 3. 4. III, 1, 8. 10. Epist. ex Pont. III, 4, 86. IV, 5, 3. Fast. II, 119. Cf. Santen. l. c. p. 310 sqq.

28) Terpsichore. T. II, p. 450. Alterum versum appellat *Heldenmann*, alterum *Heldenjungfrau*.

29) V. supra p. 6.

30) Ulricius (II, p. 170) censet eo, quod metrum quasi relabatur in syllabas longas in medio et extremo versu positas, reditum animi ad dolo-

comparationes istas ingenii potius lusus esse quam veritate fundatas; neque enim aliam veram rei naturam exprimere, si tot alias facere liceat non minus congruentes, vix dubium esse potest. Et qui factum est, ut forma metrica, cujus natura tantopere dolori exprimendo responderet, tot aliis rebus a dolore diversissimis apta esset, idque eo tempore, quo jure dici non potest per abusum id factum esse? Qui factum est, ut distichum elegiacum, siquidem ultimis moribundorum suspiriis comitandis addictum esset, non minus in carminibus bellicis civium animos ad fortitudinem excitaret, majorum gloriam celebraret, rerumpublicarum moderatoribus ad praecepta civilia, sapientibus ad temperantiam commendandam aptum videretur, idem amoris et gaudia et dolores contineret, idem denique in epulis atque summa laetitia locum haberet? Multo rectius Schillerus significavit, quid in disticho elegiaco insit, ipse disticho illo usus, quo hexametrum cum fonte ascendente, pentametrum cum relabente comparat[31]). Aliud quid in formam nemo jure transferat.

Sed jam accedimus ad aliam rem, qua nonnulli lugubria elegiae primordia fuisse demonstrare sibi videntur, tibiarum cantum cum elegiaco carmine conjunctum ejusque naturam, quam threneticam esse dicunt. Mirum est, utriusque partis sectatores eandem rem in suum commodum trahere studere; neque enim ii soli, qui tristia elegiae initia fuisse arbitrantur, ad ejus cum tibiis conjunctionem provocant, sed Boettigerus quoque, qui prorsus diversa inde colligit. Quum vero de re ipsa illi consentiant, ante omnia videndum est, num tibiae apud Graecos ita fuerint comparatae, ut ad tristes usus accomodatae iisque propriae essent. Externum hujus rei testimonium offerunt Eustathii et Suidae loci[32]), quibus

---

rem semper renovatum exprimi. Idem alio loco (p. 107) affectibus animi fluctuantibus pentametri numerum respondere ait.

31) *Im Hexameter steigt des Springquells flüssige Säule,*
Im Pentameter drauf fällt sie melodisch herab.
Hanc sententiam Osannus quoque probat p. 15.

32) Eustath. ad Iliad. p. 1878: πένθιμος γὰρ ἦν τὸ πρῶτον, φασὶν, ὁ αὐλός. Cf. Suid. s. v. ἔλεγος.

tamen non multum auctoritatis tribuendum esse, nisi alia accedant, consentaneum est; itaque ad primum tibiarum usum redeundum est, ut intelligatur, qualis tum earum ratio fuerit [33]. Et inventio quidem tibiarum e fabulosi temporis caligine repeti solet, attamen fabulae ipsae e Phrygia maxime eas ad Graecos pervenisse docent, quum ab Hyagnide, Marsya, Olympo Phrygibus inventae atque excultae esse dicantur [34]; apud Phryges ipsos autem conjunctae erant cum Cybeles cultu fanatico et orgiastico, simul vere, ut plerorumque Deorum ad naturam referendorum cultus, non sine luctu et moerore celebrato. Quare et viris illis modi lugubres tribui soleat, epitymbii et threnetici nomi [35], et Phrygias tibias tristes sonos edidisse et luctui funeribusque aptas fuisse omnes consentiunt [36]. Neque vero haec omnium tibiarum ratio est, immo, quum diversis modis compositae atque constructae neque omnes ex eadem materia confectae essent, in diversissimis rebus, tam hilaribus quam tristibus, in usu erant [37]. Nam ex Asiaticarum gentium numero Lydos tibiis in pugnis usos esse, Herodotus testis

---

33) De tibiis in universum v. quos laudant Ulrici. II, p. 155 sqq. Bernhardy. I, p. 245 sqq.; de earum inventione inprimis Boettiger. die Erfindung der Flöte und die Bestrafung des Marsyas, l. c. p. 285 sq.

34) Cf. praecipue Plut. d. Mus. p. 1132, E. Ulrici. II, p. 156. n. 25. Ad Olympum tibia refertur e. g. ab Eur. Iph. Aul. 576, ad Marsyam a Plin. Hist. Nat. VII, 57, ad Hyagnidem ab Apulejo Flor. p. 113. Bipont.

35) Pollux Onom. IV, cap. 10, 2. §. 79. Suid. s. v. ξυναυλία.

36) Pollux IV, 10, 1. §. 75: *Λέγεται δὲ καὶ Φρύγας εὑρεῖν αὐλὸν θρηνητικόν.* Aristid. Quint. d. Mus. p. 101 *γοερὰς καὶ θρηνώδεις* eas dicit.

37) De variis tibiarum generibus cf. maxime Athen. IV, p. 176, F. sqq. XIV, p. 616, E. sqq. Poll. IV, 10, 1. Varium earum usum praeter alios locos et epitheta docent a Polluce (IV, 9, 5, §. 67. 6, §. 73) iis adjecta et Apuleji locus (Flor. p. 115. Bip.): *Tibicen quidam fuit Antigenidas, omnis voculae melleus modulator, et idem omnimodis peritus modificator, seu tu velles Aeolium simplex, seu Asium varium, seu Lydium querulum, seu Phrygium religiosum, seu Doricum bellicosum.*

est [38]). Tibiae, quarum Homerus mentionem facit, minime lugubres cantus persequuntur, sed partim in castrorum Trojanorum turba audiuntur, partim in describenda nuptiarum festivitate saltationi moderandae adhiberi dicuntur [39]); similem earum usum Hesiodus [40]) attingit, ita ut antiquissimae tibiae Graecis notae hilares potius quam tristes fuisse videri possint. Praeterea Graeci multis aliis in rebus iis utebantur: Lacedaemonios constat pariter ac Lydos tibiis sonantibus aciem instruxisse [41]); in ludis gymnicis pentathlo accini solebant [42]), et postea in conviviis solemnis earum usus erat [43]). Neque vero minus apud Graecos in funeribus tibiis locus erat, ita ut nullum aliud instrumentum musicum ad hunc usum tam accomodatum esse videretur [44]), neque parvi momenti hoc tibiarum genus fuisse, nomi illius auloedici nomen ostendit [45]); unde tamen non sequitur, proprium et primarium earum in Graecia usum lugubrem fuisse, neque colligere licet, ubicunque tibiarum cantus sit, ibi tristitiam esse; quin Graecae tibiae aperte a Phrygiis distinguuntur [46]). Et quum iis temporibus, quibus Graecis eas in usu fuisse historiae traditum est, ad diversas res accedant, ita ut de principiis vix certi aliquid constitui possit, haec res dubia relinquenda esse videtur; nihil certum est nisi barbaricae eas fuisse originis et, quamvis varia fuerint tibiarum genera, omnium id commune fuisse, ut orgiasticum quiddam, non

---

38) Herod. I, 17; cf. Athen. XII, p. 577, A.

39) Hom. Il. X, 13. XVIII, 495. Schol. ad hh. ll. Ath. I, 16, A. B. Cf. Bernhardy. l. c.

40) Hesiod. Scut. Herc. 281 sq.

41) Cf. Mueller. Dor. II, p. 334.

42) Plut. d. Mus. p. 1140, C. D. Paus. V, 7 extr. 17, 4.

43) Nota res est; cf. C. Fr. Hermann. ad Lucian. d. hist. conscr. p. 176; spectat ad eam Anacharsidis dictum, quaerenti, cur tibicinae apud Scythas non sint, respondentis: οὐδὲ ἄμπελοι. Cf. Plut. conv. sept. sap. c. 5.

44) De ἀλίροις ἐλέγοις vide supra p. 22.

45) V. supra p. 21 sq.

46) Paus. V, 17, 4.

solum cum Cybeles sed cum Bacchi etiam cultu, quo duce nonnullis in Graeciam pervenisse visae sunt[47]), conjunctum, et a vetere duritie atque severitate alienum haberent[48]), quamobrem Plato eas e republica sua removendas esse censebat. Etiamsi vero initio tristi indole fuerint, inde de primaria elegiacorum carminum, siquidem cum iis conjuncta essent, ratione colligere non licet, quum eo maxime tempore, quo elegiacum poema ortum sit, alia earum genera non floruisse domonstrari nequeat.

Sed hac de re ipsa jam videamus necesse est, num elegias ab initio tibiarum cantus prosecutus sit. Et Boettigeri quidem sententia, elegiam e tibiarum cantu ortam esse, non tanto contemtu, quam nonnullis visum, est abjicienda; scilicet dubitari non posse videtur, quin tibiae in Graeciam introductae haud parvi fuerint momenti ad totam rem metricam paullo aliter constituendam atque amplificandam, et varii earum modi omnium maxime in causa fuerint, cur metrica quoque forma liberiores paullatim modos in se reciperet; neque huic sententiae obstat, quod Aeolici poetae fidibus canebant, nam in ipsis fidibus illa mutatio conspicua est, quas multis nervis additis ultra veterem simplicitatem procedentes Plato quidem ita cum tibiis componit, ut tibias *πολυχόρδους* dicat; et licet initio tibiae fidibus prorsus oppositae essent, postea tamen accidit, ut vel Apollini Delphico

---

47) Cf. Boettiger. l. c. p. 290. Ulrici. II. p. 156.

48) Aristot. Polit. VIII, 7: *Ἔχει γὰρ τὴν αὐτὴν δύναμιν ἡ Φρυγιστὶ τῶν ἁρμονιῶν, ἥνπερ αὐλὸς ἐν τοῖς ὀργάνοις· ἄμφω γὰρ ὀργιαστικὰ καὶ παθητικά.* Cf. c. 6. Plat. de Rep. III, p. 399, C. D.: *Οὐκ ἄρα, ἦν δ' ἐγώ, πολυχορδίας γε οὐδὲ παναρμονίου ἡμῖν δεήσει ἐν ταῖς ᾠδαῖς τε καὶ μέλεσιν. Οὔ μοι, ἔφη, φαίνεται . . . . Τί δέ; αὐλοποιοὺς ἢ αὐλητὰς παραδέξει εἰς τὴν πόλιν; ἢ οὐ τοῦτο πολυχορδότατον (ὄργανον) καὶ αὐτὰ τὰ παναρμόνια αὐλοῦ τυγχάνει ὄντα μιμήματα;* Locus non videtur depravatus esse; certe Pollux IV, 9, 5. §. 67 hanc lectionem ante oculos habuit. Cf. Gorg. p. 501 E.

tibicines reconciliarentur [49]), et dithyrambus, et ipse cum Bacchi cultu atque cum tibiis arcte conjunctus [50]), ab Arione citharoedo inventus esse diceretur, eidemque orthius nomus tribueretur [51]). Itaque per se non prorsus absona est Boettigeri conjectura, modo de ea vi accipiatur, quam tibiae in universae artis metricae et musicae mutationem habuerint, unde tamen ne id quidem colligi potest, elegiacos poetas tibiarum cantu carmina sua prosecutos esse. Ejusdem viri errorem, ut qui Tyrtaei embateria cum elegiis confundens hoc exemplo demonstrare posse sibi videretur, carmina in pugnis ad tibias cantata elegiaca fuisse, jam alii satis refutarunt [52]). At Ulricius quoque neminem dubitare posse ait, quin antiquissimi poetae elegiaci, quorum *notitia exstat*, Callinus, Archilochus et Tyrtaeus, disticha auloedica fecerint [53]); quod antiquorum certe scriptorum nemo tradidit. Et Tyrtaei quidem elegiis cum tibiis conjunctionem intercessisse qui inde colligit, quod Suidas tibicinem eum fuisse dicit, is in eundem errorem cadere videtur, quem Boettigero VV. DD. exprobrarunt, quum tibiarum cantum ad carmina embateria anapaestico metro composita referendum esse certum sit, de elegiis nihil ejusmodi constet. Neque vero Callinum tibiis usum esse, ea conjectura convincitur, quam et Boettigerus et Ulricius protulerunt, Jones Asiaticos pariter ac Lydos cum tibiis in proelia profectos esse, quum veteres nemini praeter Lydos et Lacedaemonios hunc usum tribuant. Denique neque inde, quod Archilochus se ad tibiam cantare profitetur, de elegiacis carminibus cogitandum esse sequitur; immo ipsius verba eum tibiam potius cum aliis carminibus conjunxisse docent, quum ad paeanem eam

---

49) Paus. II, 22, 9.
50) Cf. Ulrici. II, p. 484. n. 30.
51) Herod. I, 23. 24.
52) Egit de tota quaestione Franckius, Append. ad Call. p. 118—134, nimia, qua solet, audacia, de Boettigeri errore maxime p. 131 sqq. Cf. Mueller. Dor. II, p. 336.
53) T. II, p. 186.

referat [54]). Apparet igitur, de his certe viris nihil ejusmodi constare [55]). — Majorem illa sententia ex iis, quae de Solone traduntur, trahere forsitan possit auctoritatem, qui, licet post Mimnermum demum vixerit, tamen ad Callini et Tyrtaei magis quam ad Mimnermi poesin se applicasse dicendus est, ita ut ex eo de illis quoque conjecturam facere fortasse liceat. Quod vero elegiam illam Salaminiam et ipse ᾠδὴν appellat [56]) et ab aliis cecinisse traditur [57]), inde nihil conficitur, quum de tibiis sermo non sit. Majoris momenti esse possit, quod ejus exhortationibus, quibus elegias et maxime bellicam illam significari probabile est, Athenienses usi esse dicuntur ad prosequendos militum motus, accinentibus tibia et lyra [58]). Cui rei Sexti Empirici solius auctoritate nisae quaeritur quantum tribuendum sit, quippe quae forsitan ex iis, quae de elegia Salaminia tradita erant, originem duxerit; Athenaeus certe hanc rem apud alias gentes praeter Lydos, Lacedaemonios et Cretenses (quos cithara usos esse ait) in usu fuisse ignorasse videtur; nam paeanis alia ratio est. Ponamus tamen, elegiaca Solonis carmina ad tibias cantata esse idemque in antiquiorum poetarum elegias cadere: nihilominus tibiae consociatio non ea esse poterat, quae in nomis auloedicis et lugubribus illis carminibus locum habebat, quum Athenaeus [59]) disertis verbis So-

---

54) Frg. XLIV. p. 128 Liebel.: Αὐτὸς ἐξάρχων πρὸς αὐλὸν Λέσβιον παιήονα. Alius locus, ubi Archilochus tibiae mentionem fecit, (Ath. X, p. 447, B. Frg. V. p. 67 Liebel.) huc non pertinet et e verbis ᾄδων ὑπ᾽ αὐλητῆρος (Schol. ad Arist. Avv. 1426. Frg. CVI. p. 218 L.), quae quo sensu dicta sint ignoramus, nihil sequitur.

55) Ulricii opinionem improbat Bernhardy. I, p. 279.

56) V. supra pag. 40.

57) Demosth. d. fals. leg. p. 201. Plut. Sol. c. 8. Aristid. II, p. 279. Jebb. Polyaen. I, 20, 1: Σόλων . . . . ἐλεγεῖα ᾖδεν· τὰ δὲ ἐλεγεῖα ἦν Ἀρήϊα ᾄσματα. Cf. Bach. ad Sol. frg. p. 23.

58) Sext. Empir. adv. Music. p. 357. Καὶ οἱ ταῖς Σόλωνος χρώμενοι παραινέσεσι, πρὸς αὐλὸν καὶ λύραν παρετάσσοντο, ἔνρυθμον ποιούμενοι τὴν ἐνόπλιον κίνησιν.

59) Athen. XIV, p. 632, D.: Ὅς (Ὅμηρος) διὰ τὸ μεμελοποιη-

lonis carmina inter ea referat, quae a poetis cum musicis modis non sint conjuncta, et hac in re vel Homeri carminibus opponat.

Ut vero ostendatur, arctiorem ab antiquissimis inde temporibus tibiarum cum elegia fuisse conjunctionem, iis locis uti non licet, quibus ἔλεγοι ad tibiam cantati esse dicuntur, quum id ipsum demonstrandum sit, elegos antiquissimos hexametris pentametrisque inclusos fuisse, et ad eos primordia hujus metri esse referenda. At, inquiunt, de elegiis ipsis luculentissimum exstat testimonium Plutarchi, ad tabulas de certaminibus Panathenaicis scriptas provocantis [60]). Nimirum postquam Mimnermum nomum, cui Cradiae nomen fuerit, tibia cecinisse dixit, addit, ἐν ἀρχῇ elegias modis musicis aptatas ab auloedis cantatas esse. Quid autem? ad quaenam tempora spectat ambiguum illud ἐν ἀρχῇ? Profecto quum illa verba ad id, quod de Mimnermo dixerat, confirmandum addat, nihil ex hoc loco colligere licebit nisi Mimnermi aetate ab auloedis ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα cantata esse. Certamen autem musicum illud in Panathenaeis institutum a Pericle demum originem ducebat [61]), neque in tabulis illis aliud quid commemoratum esse verisimile est, nisi Athenis in Panathenaeis tales cantus editos esse, ita ut magis etiam dubii haereamus, ad quod tempus ἐν ἀρχῇ illud jure referendum sit, licet a Plutarcho ad majorem antiquitatem referatur. Denique ne id quidem Plutarchus cla-

---

κέναι πᾶσαν ἑαυτοῦ τὴν ποίησιν, ἀφροντιστὶ τοὺς πολλοὺς ἀκεφάλους ποιεῖ στίχους, καὶ λαγάρους, ἔτι δὲ μειούρους. Ξενοφάνης δὲ καὶ Σόλων καὶ Θέογνις καὶ Φωκυλίδης, ἔτι δὲ Περίανδρος ὁ Κορίνθιος ἐλεγειοποιὸς καὶ τῶν λοιπῶν οἱ μὴ προσάγοντες πρὸς τὰ ποιήματα μελῳδίαν, ἐκπονοῦσι τοὺς στίχους τοῖς ἀριθμοῖς καὶ τῇ τάξει τῶν μέτρων κ. τ. λ.

60) Plut. d. Mus. p. 1134 A.: Ἐν ἀρχῇ γὰρ ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα οἱ αὐλῳδοὶ ᾖδον· τοῦτο δὲ δηλοῖ ἡ τῶν Παναθηναίων γραφὴ ἡ περὶ τοῦ μουσικοῦ ἀγῶνος.

61) Plut. Pericl. c. 13. Cf. Franck. Call. p. 128.

ris verbis dicit, elegias initio auloedicas fuisse, sed auloedos initio elegias cecinisse, et licet de elegiis, quae ante auloediae in Graecia usum fuerint, ille vix cogitaverit, tamen e Plutarchi loco nihil de antiquissima carminum elegiacorum ratione colligi posse certum esse videtur [62]).

At Plutarchus etiam poetarum elegiacorum nomina exhibet, qui tibiis simul operam dedisse dicuntur. Nam Clonam et Polymnestum, quos nomo auloedico, cui *ἐλέγων* nomen erat, usos esse vidimus, *ἐπῶν καὶ ἐλεγείων ποιητὰς* dicit [63]); praeterea Sacadam tradit *μέλεα καὶ ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα* composuisse [64]), quibus denique accedit Olympus a Suida *μελῶν καὶ ἐλεγείων ποιητὴς* appellatus [65]). Et Clonas quidem qua aetate vixerit, non satis certum est; Plutarchus enim Glauco Italo, ut videtur, auctore eum ante Archilochum vixisse ait [66]), idque eam ob causam, quod Terpandrum, quem Clonas *paullo* post secutus sit [67]), Archilocho priorem fuisse arbitratur; neque tamen ipse sibi omnino constat, quum antea dixisset, *multo* ante auloedicos nomos, quos Clonam disposuisse tradit, citharoedicos a Terpandro constitutos esse, has in re Heraclidem secutus [68]). Si vero Ter-

---

62) Plutarchum non accurate dixisse *ἐν ἀρχῇ*, Bernhardyi (l. c. p. 279) quoque sententia est.

63) D. Mus. p. 1132, C.

64) Ibid. p. 1134, A. B.

65) Suid. s. v. *Ὄλυμπος*.

66) Pag. 1133. A.: *Μετὰ δὲ Τέρπανδρον καὶ Κλονᾶν Ἀρχίλοχος παραδίδοται γενέσθαι.*

67) Ibid. *Κλονᾶς δὲ ὁ τῶν αὐλῳδικῶν νόμων ποιητὴς ὁ ὀλίγῳ ὕστερον Τερπάνδρου γενόμενος.*

68) Pag. 1132, C.: *Ὁμοίως δὲ Τερπάνδρῳ Κλονᾶν τὸν πρῶτον συστησάμενον τοὺς αὐλῳδικοὺς νόμους καὶ τὰ προσόδια ἐλεγείων τε καὶ ἐπῶν ποιητὴν γεγονέναι . . . οἱ δὲ τῆς κιθαρῳδίας νόμοι πρότερον πολλῷ χρόνῳ τῶν αὐλῳδικῶν κατεστάθησαν ἐπὶ Τερπάνδρου.* Ceterum in primis verbis nihil inest, nisi eodem modo, quo Terpander, qui citharoedicos nomos composuerit, ipse carmina quoque fecerit eaque epica, Clonam, auloedicorum nomorum auctorem, carmina fecisse epica et

pandrum post Archilochum ponimus [69]), etiam Clonam postea vixisse statuendum est. Quanquam igitur de ejus aetate certi nihil constitui potest, videtur septimo fere ante Chr. seculo exeunte floruisse [70]). De poetica ejus laude aliunde nihil constat, et quae Plutarchus ipse de eo tradit, ad musicam maxime spectant. Eadem causa est Polymnesti, qui sub Olymp. XXX floruisse videtur [71]). Apertior etiam in Olympo et Sacada res est; nam Olympo carmina non tribuuntur, et nomus, cui Polycephalae nomen erat, ne auloedicus quidem, sed auleticus erat [72]). Sacadam autem nemo praeter Plutarchum poetam appellavit, quum in uno loco, ubi *Ἰλίου πέρσις* ei tribuitur, nomen in conjectura sit positum [73]); Pausanias vero, qui compluribus locis ejus mentionem facit, tibicinem, *αὐλητὴν*, non auloedum eum fuisse dicit, et omnia, quibus gloriam haud parvam debet, ad assum tibiarum cantum referuntur, nihil ad poetica merita vel carmina ad tibias

---

elegiaca. Significare Plutarchum voluisse, Terpandrum et ipsum carmina *elegiaca* fecisse, vix credibile est, quum antea de epicis tantum carminibus loquatur. Aliter judicat Franck. p. 20. De inventore elegiae nihil in h. l. inesse, nemo nunc dubitat.

69) Mueller. Dor. II, p. 317. Ulrici. II, p. 342. Clinton. Fast. Hell. I, p. 187. — Bernhardy. I, p. 251 ejus personam temporis rationibus non esse includendam, ejus musicam Olympiadum initia contingere ait.

70) Ulrici. II, p. 290 eum ab anno a. Chr. n. 680 fere usque ad annum 650 floruisse censet.

71) Cf. Clinton. l. c. p. 201. — Boeckh. Expl. Pind. p. 655 eum vixisse ait Olymp. circiter XX—XXX.

72) Cf. Boeckh. Explic. Pind. p. 345. Locos, quibus Olympi mentio fit, collegit Clinton. p. 344 sq. Sunt tamen qui eum inter mythicas personas referendum esse arbitrentur et duos fuisse Olympos, quod veteres tradunt (cf. Perizon. ad Ael. V. H. XIII, 21) negent, ut Ritschl. (Ersch. et Gruber. Allgem. Encyclop. s. v. Olympus); cf. Bernhardy. p. 246.

73) Athen. XIII, p. 610, C. Editt. exhibent ἐκ *ΤΗΣΑΚΑΤΟΥ ΑΡΓΕΙΟΥ Ἰλίου περσίδος*, MS. ἐκ *ΤΗΣΣΑΚΑΤΟΥ ΑΡΓΕΙΟΥ* κ. τ. λ.; equidem nullus dubito, quin scribendum sit *ΑΓΙΑ τοῦ Ἀργείου*, quae conjectura est C. Fr. Hermanni; referenda autem sunt haec verba ad illum Agiam, qui saepius cum

cantata [74]). Et Plutarchi ipsius locus, ubi Thaletam, Xenodamum et Xenocritum paeanes, Polymnestum orthia, Sacadam ἐλεγεῖα fecisse tradit, non esse de propriis carminibus cogitandum docet, quum orthia certe potius ad musicam pertineant. Atque de his omnibus, quos arte musica excelluisse audimus, e quorum numero sunt Terpander, Clonas, Polymnestus, Sacadas, Arion et multi alii, id tenendum esse videtur, non tam fuisse apud Graecos artis musicae cum poesi conjunctionem, ut iidem semper et poetae et musici fuerint; nam ut omittamus eos, qui assis tibiis operam dabant, auloedi quoque vix possunt in poetarum numero haberi, quum non solum nomi illi auloedici ad musicam magis quam ad poesin pertinerent, sed etiam auloedi ipsi ea re a ceteris poetis distinguantur, quod ipsi tibiis cecinisse videntur, quum illi carmina canerent tibias aliis relinquentes [75]). Et quanquam illis quidem temporibus, quibus melica poesis florebat, poetae ipsi musicos modos poematis aptare solebant, ne eos quidem statuendum est, quicunque poetica laude insignes essent, simul in musicis rebus a vulgari consuetudine recessisse; multo minus concedi potest, eos, qui musica arte gloriam sunt adepti, et quorum nomina inventis vel mutatis instrumentis musicis aetatem tulerunt, simul inter poetas

---

Dercyllo conjunctus Ἀργολικὰ scripsisse fertur, et quem de Trojae expugnatione locutum esse Clemens Alex. (Strom. I, p. 336. ed. Heins.) testis est. Cf. Casaub. ad Athen. III, p. 86, F. Welcker. d. epische Cyclus, p. 279 n. 449. Sacadae nomen scribi vetat etiam Corsin. Fast. Att. III, p. 3 sq. Cf. Harles. ad Fabricii Bibl. Gr. II. p. 137.

74) Paus. II, 22, 9. VI, 14, 4. IX, 30, 2. X, 7, 3. — Idem IV, 27, 4 Sacadae et Pronomi μέλη commemorat, modos musicos, ut videtur, non carmina, quum Pronomus et ipse nunquam inter poetas referatur (v. Paus. IX, 12, 4. Athen. IV, p. 184, D. XIV, p. 631, E.). Cf. αὐλῶν μέλη Paus. III, 17, 5. — De Sacada egerunt Boeckh. ad Pind. Fragm. p. 655 sq. Ulrici. II, p. 431 sq., qui eum in numero elegiacorum poetarum pari cum Mimnermo loco ponit et Ἰλίου πέρσιν elegiaco metro scriptam esse conjicit; cf. ibid. I, p. 493.

75) Alcmanis aetate tibicines, quos adhibebat, vel barbari fuisse videntur. Cf. Athen. XIV, p. 624, B. Frg. LXXXVI, p. 75. Welcker.

esse referendos. Sunt quidem qui vetent, ne quae nostris temporibus fieri soleant, ad antiquitatem transferamus, sed quamvis longe alia musicae apud Graecos ratio fuerit ac apud nos, Graecorum tamen ipsorum eam sententiam fuisse scimus, non posse eundem variis rebus simul operam dare pari eventu, ita ut Platoni ne tragoediam quidem ac comoediam bonam idem componere posse videretur [76]). Et quum tres sint carminis partes, λόγος, ἁρμονία, ῥυθμός [77]), bonum quidem poetam decet nullius expertem esse: at si quis harmoniae gnarus est eamque optime excolit, num inde sequitur, eundem argumenti verbis tractandi peritissimum esse? Neque tamen quisquam contendet, hanc partem ceteris minoris esse momenti, immo majoris. Neque eum, qui Graecorum literas persequitur, fugiet, antequam carmina melica, quae dicuntur, ad summum perfectionis et libertatis fastigium adscendere potuissent, musicae ipsi a vetere simplicitate decedendum fuisse, ita ut mirum non sit, poetis praeclaris praeclaros musicos tempore antecedere. Denique vix explicari possit, siquidem illi viri re vera poetae fuerint, qui factum sit, ut ne verbum quidem ex eorum carminibus usquam servatum sit. Quae quum ita sint, non injuria dubitare nobis videmur, an Plutarchus Clonae ἐλέγους cum ἐλεγείοις confuderit, quae suspicio confirmatur eo, quod in Olympo Suidae id accidisse certum esse videtur, et nihil verisimilius esse potest, quam μέλεα καὶ ἐλέγους, de quibus in Echembroti epigrammate sermo est, idem esse, quod Plutarchus et Suidas μέλεα καὶ ἐλεγεῖα dicunt, eo magis, quum Pau-

---

76) Plat. d. Rep. III, p. 394, E.: . . . . ἢ καὶ τοῦτο τοῖς ἔμπροσθεν ἕπεται, ὅτι εἷς ἕκαστος ἓν μὲν ἂν ἐπιτήδευμα καλῶς ἐπιτηδεύει, πολλὰ δ᾽οὔ, ἀλλ᾽ εἰ τοῦτο ἐπιχειροῖ, πολλῶν ἐφαπτόμενος πάντων ἀποτυγχάνοι ἄν, ὥστ᾽ εἶναί που ἐλλόγιμος . . . p. 395, A.: ἐπεί που οὐδὲ τὰ δοκοῦντα ἐγγὺς ἀλλήλων εἶναι δυὸ μιμήματα δύναιντ᾽ ἂν οἱ αὐτοὶ ἅμα εὖ μιμεῖσθαι, οἷον κωμῳδίαν καὶ τραγῳδίαν ποιοῦντες.

77) Cf. Plat. d. Rep. III. p. 398, D.

saniam et ipsum alterum verbum pro altero posuisse viderimus. Sin vero conceditur, ἐλέγους fuisse qui illis viris tribuuntur, iis neminem uti posse apparet, ut elegiaca carmina cum tibiis conjuncta fuisse ostendat.

Quae quum ita sint, praefracte quidem negari non potest, elegias ab initio cum tibiis conjunctas fuisse, sed etiamsi hoc concedatur, nihil inde sequi de lugubribus elegiae primordiis vidimus, quum majore etiam jure dicere aliquis possit, eam initio cum tibiis bellicis, diversis illis a tibiis obliquis, quibus in funeribus veteres utebantur, conjunctam fuisse.

Ex iis, quae huc usque disputata sunt, apparere videtur, nullam rem esse, quae nos cogat, ut a querelis distichum elegiacum profectum esse dicamus. Quod nisi demonstrari potest, profecto non est cur ab iis rebus, quae in historico positae sunt fundamento, discedamus. Quum vero grammaticorum judicium ex ipsius nominis originatione ortum sit, nihil in elegiaci poematis historia certum esse videtur, nisi quod ex ipsis carminum fragmentis vel iis rebus, quae de elegiacis poetis traduntur, colligatur; et quum antiquius quam Callini et Archilochi neque nomen neque fragmentum exstet, hi jure meritoque possessione sua utentur, donec alios majore jure eam sibi vindicare demonstratum fuerit. Atque nonnulli etiam eorum, qui a lugubribus elegiae primordiis egrediuntur, concedunt, metrum ad artis praecepta ab illis demum poetis revocatum esse, sed id non prohibere, quo minus antea jam similia tentata sint et analoga nescio quae forma certae metricae rationis expers in carminibus popularibus viguerit. Quod quid faciat ad literarum historiam, non liquet; nisi enim certa forma metrica erat, poemata non erant, et qui forsitan in cantilenis popularibus inerant modi, ii profecto non tanquam initia ejus generis, cujus notio in ipsa forma metrica sita est, proferri possunt. Neque audiendi sunt ii, qui e metris antiquissimarum cantilenarum, numerorum legibus solutis, adhibitis ut casus aut canentis ingenium ferret, lyricam poesin esse progressam arbitran-

tur[78]). Et ne id quidem concedi potest, variis gradibus opus fuisse, ut forma metrica ad perfectionis fastigium in antiquissimis carminibus elegiacis, quae aetatem tulerunt, conspicuum pervenire posset; nam quod de Homero, qui primus perfecta forma usus est, recte monent, non potuisse eundem simul ejus fundamenta ponere, non pariter in posteriores poetas cadit, et omnium minime quidem in eos, qui elegiaco disticho utebantur, cujus elementa non tum primum orta sed in ipso hexametro vel, si malis, in dactylico certe metro jam dudum exculto posita erant[79]. Itaque non temere agere videntur, qui hujus generis inventorem circumspiciunt, neque vituperandi sunt, qui eorum, quorum memoria exstat, antiquissimo illam gloriam tribuunt. Quum vero, ut omittamus sententias aperte absonas, quales sunt eorum, qui Theoclem quendam Naxium, vel etiam Pythagoram et Ortygem pentametrum invenisse tradunt[80]), ne Mimnermus quidem post Archilochum Callinumque vivens huc referri possit, qui ideo tantum a nonnullis inter elegiae inventores proferri videtur, quod elegiae amatoriae, quam poetae Alexandrini et Romani maxime colebant, originem dederat[81]): nonnisi Callini et Archilochi optio data est, itaque de horum virorum aetate est videndum, ut intelligatur, uter tempore antecedens alteri palmam praeripiat.

---

78) Ilgen. de scoliorum poesi. p. XCV.

79) Optime Franckius (p. 30) hac de re dicit: *Neque profecto audiendus Souchaeus, qui ipsa fragmenti Calliniani praestantia sententiam de elegiae inventione huic tribuenda redargui contendit. Quasi vero post Homerum qui primus carminibus pentametrum adhiberet, eo ipso ad rudia et agrestia omnis poesis initia debuisse relabi existimandus sit.*

80) Cf. Franck. Call. p. 21.

81) V. maxime Hermesian. apud Athen. XIII, p. 597 seq., v. 35 sq. p. 136. ed. Bach. Propert. I, 9, 11 sq. Cf. Franck. p. 9 sqq. Bach. ad Hermes. p. 137.

CAPUT IV.

De Archilochi et Callini aetate.

Videamus primum de Callini aetate, quoniam de eo apertior res est [1]). Antiquissimum testimonium est Herodoti [2]), eum floruisse dicentis Gyge Lydis imperante, qui imperium tenuisse videtur ab Olymp. XVI, 1 usque ad Ol. XXV, 3 [3]); Cicero [4]) eum Romulo aequalem reddit, qui ab Ol. VI, 4 usque ad Ol. XVI, 1 regnasse dicitur; Tatianus, Eusebius, Cyrillus, Syncellus sub Olymp. XXIII eum floruisse tradunt [5]), Clemens sub Olymp. XX. Cui tempori id convenit, quod Archilochus cum colonia, oraculi patri ejus dati jussu deducta, e patria Paro in Thasum insulam migrasse, vel etiam huic deductioni ipse praefuisse dicitur [6]). Thasus enim a Pariis condita est Dionysio teste Olymp. XV, Xantho auctore Ol. XVIII [7]). Quod vero Eusebius in Chronico ad

---

1) Cf. de Archilochi aetate Sévin. in Mém. de l'Acad. des Inscr. T. X, p. 36 sqq. Burett. ibid. p. 239 sqq. Fabric. Bibl. Gr. II, p. 107 Harles. Liebel. Archilochi reliquiae. Lips. 1818. §. II—IV.

2) Herod. I. 12: τοῦ καὶ Ἀρχίλοχος ὁ Πάριος κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γενόμενος ἐν ἰάμβῳ τριμέτρῳ ἐπεμνήσθη. Quem locum cur spurium nonnulli censerent causa non erat. Cf. Baehr. ad h. l. Ad Gygem eum referunt praeterea Tatian. ad Graec. p. 109. Procl. ap. Phot. l. c.

3) Clinton. I, p. 170. 184.

4) Quaest. Tusc. I, 1, 3.

5) Tatian. l. c. Euseb. praep. evang. X, p. 492. ed. Paris. 1628. Cyrill. c. Julian. p. 12. Syncell. Chronogr. p. 180.

6) Euseb. praep. evang. VI, p. 256: οὐδ' ἂν Ἀρχίλοχος ὁ υἱὸς αὐτοῦ Παρίους ἐξενάγησεν, οὐδ' ἂν οἱ Πάριοι Θάσον ᾤκησαν. Cf. Steph. Byz. Θάσσος, ubi scribendum est τῷ τοῦ Ἀρχιλόχου πατρί.

7) Clem. Alex. Strom. I, p. 333 B.

Ol. XXVIII, 4 eum apposuit, id cohaeret cum diversa computatione annorum, quibus Lydiae reges imperium tenuisse tradit; Gygem enim ab Ol. XX, 2 usque ad XXIX, 2 regnasse ait; ad quam rationem magis etiam Cornelii Nepotis accedit opinio, quem ad Tulli Hostilii aetatem Archilochum retulisse Gellius testis est [8]. Sed ut accuratam annorum, quibus vixerit, descriptionem mittamus, eum sub initium seculi septimi a. Chr. n. floruisse maxime consentaneum est. Quum vero Olymp. XV vel XVIII jam ultra pueritiam processisse, neque summam senectutem videatur assecutus esse, quippe qui in bello occisus sit [9], vix potuit ultra Ol. XXX aetatem extendere.

Sequitur, ut Callini aetatem indagare studeamus, ne veteribus quidem scriptoribus exploratam, ita ut, licet plerique Callino distichi elegiaci inventionem tribuant, tamen ex ipsis poetarum locis conclusionem facere essent coacti. In quorum numero est Strabo [10], cujus loco maxime uti solent qui Callinum aetate superiorem Archilocho fuisse contendunt; verba ejus haec sunt: *Καὶ τὸ παλαιὸν δὲ συνέβη τοῖς Μάγνησιν ὑπὸ Τρηρῶν ἄρδην ἀναιρεθῆναι, Κιμμερικοῦ ἔθνους, εὐτυχήσαντος* [11] *πολὺν χρόνον· τῷ δ' ἑξῆς ἔτει Μιλησίους κατασχεῖν τὸν τόπον. Καλλῖνος μὲν οὖν ὡς εὐτυχούντων ἔτι τῶν Μαγνήτων μέμνηται καὶ κατορθούντων ἐν τῷ πρὸς Ἐφεσίους πολέμῳ. Ἀρχίλοχος δὲ ἤδη φαίνεται γνωρίζων τὴν γενομένην αὐτοῖς συμφοράν.*

Κλαίειν τὰ Θασίων, οὐ τὰ Μαγνήτων κακά [12]).

---

8) Gell. NN. AA. XVII, 21.

9) Heracl. Pont. *πολιτ.* frg. VIII. Plut. d. ser. numin. vind. c. 17 p. 560, D. E. Euseb. l. c. V, 33. p. 228.

10) Strab. XIV, p. 647. §. 40 Tzschuck.

11) Thiersch. l. c. p. 572 haud male conjecit *εὐτυχήσαντας*, ut ad Magnetas referatur, propter ea, quae mox sequuntur.

12) Ita hunc versum edidit Tzschuckius e Tyrwhitti conjectura. Editt. vett. exhibent *θᾶσσον* omisso articulo, et *οὐ* pro *ὦν*, quam lectionem Thierschius (p. 511) recepit, ita tamen ut *Θάσσον* scriberet (quae forma exstat apud Steph. Byz. pro *Θάσος*), et quam et ipse libenter reciperem, si *οὐ* in codd. esset. In uno cod. exstat *θείων*, in tribus

ἐξ οὗ καὶ τὸ νεώτερον εἶναι τοῦ Καλλίνου τεκμαίρεσθαι πάρεστιν. Ἄλλης δέ τινος ἐφόδου τῶν Κιμμερίων μέμνηται πρεσβυτέρας ὁ Καλλῖνος, ἐπὰν φῇ·

Νῦν δ' ἐπὶ Κιμμερίων στρατὸς ἔρχεται ὀβριμοέργων·
ἐν ᾗ τὴν Σάρδεων ἅλωσιν δηλοῖ.

Strabonem secutus esse videtur Clemens Alexandrinus [13]), his verbis usus: Μέμνηται γοῦν (Ἀρχίλοχος) καὶ τῆς Μαγνήτων ἀπωλείας προσφάτως γεγενημένης. Σιμωνίδης μὲν οὖν κατὰ Ἀρχίλοχον φέρεται· Καλλῖνος δὲ πρεσβύτερος οὐ μακρῷ· τῶν γὰρ Μαγνήτων ὁ μὲν Ἀρχίλοχος ἀπολωλότων, ὁ δὲ εὐημερούντων μέμνηται.

Uterque eodem argumento utitur, Callinum Magnetes florentes commemorare, Archilochum eorum interitum cognitum habere, ergo Callinum Archilocho esse priorem; Callinum autem et ipsum mentionem facere invasionis Cimmeriorum prioris ea, qua Magnesia deleta sit, Strabo addit. E quibus locis id manifesto elucet, veteres scriptores nonnisi ex illis versibus de poetarum aetate conjecturam fecisse, quare non nimium nobis vindicamus, et ipsi non eorum judicio, sed iis rebus, quibus judicium nititur, utentes.

Quum vero haec quaestio a Cimmeriorum et Trerum in Asiam irruptione pendeat, quid de ea statuendum sit videamus. Strabo compluribus locis de talibus incursionibus loquitur, quas haud raro factas esse tradit [14]); saepe certum

---

θάσσων. Franckius (Call. p. 90) metri causa scripsit: κλαίοντα Θάσσον οὐ τὰ Μαγν. κακά, Bachius (Call. frg. p. 7) eam formam suscepit, qua idem versus apud Heracl. Pont. frg. XXII Koeler. exstat: κλαίειν (quem infinitivum Strabonis esse censet, quum apud Heracl. sit κλαίω) θαλασσῶν, οὐ τὰ Μαγνήτων κακά, quod tamen et propter vocis θαλασσῶν usum a G. Hermanno improbatum est (epist. ad Bach. in Nachtrag zu der Ausg. der Bruchstücke des Kall., Tyrt. u. Asios. Lpzg. 1832 p. 3), et vix aptum exhibet sensum. C. Fr. Hermanno placet: κλαίειν τά γ' ἄσσον, οὐ κ. τ. λ. Ad codd. vestigia maxime accedit Tyrwhitti conjectura, quamvis et ipsa vix sana.

13) Clem. Alex. l. c.

14) Str. I, p. 61: Οἵ τε Κιμμέριοι οὓς καὶ Τρήρωνας (l. Τρῆ-

aliquem Cimmeriorum incursum Homeri aetate vel jam ante Homerum factum attingit, quem Eusebius quoque respicit, qui in Chronico anno 939 Abrahami i. e. trecentesimo ante Olympiadem primam Amazones cum Cimmeriis incursum in Asiam fecisse tradit, et vix dubitari potest, quin Orosii, qui in rebus chronologicis Eusebium sequi solet [16]), locus, ubi *Amazonum et Cimmeriorum repentinum in Asiam incursum factum esse* narrat [17]), ad eandem rem sit referendus. Majoris vero momenti est alia incursio ad posteriora tempora referenda, quum Cimmerii a Scythis pulsi e sedibus Bosporicis egressi erant [18]). Scythae nimirum, ut Herodotus narrat, Madye duce Cimmerios ex Europa ejecerant et eos persequentes a recta via aberraverant; nam Cimme-

---

ρας cum quibusdam libris) ὀνομάζουσιν, ἢ ἐκείνων τι ἔθνος πολλάκις ἐπέδραμον τὰ δέξια μέρη τοῦ Πόντου καὶ τὰ συνεχῆ αὐτοῖς· et paullo infra (v. n. 19). Cf. XI, p. 511.

15) I, p. 20: Ὅτι δ' οἶδεν αὐτοὺς οἱ χρονογράφοι δηλοῦσιν, ἢ μικρὸν πρὸ αὐτοῦ τὴν τῶν Κιμμερίων ἔφοδον ἢ κατ' αὐτὸν ἀναγράφοντες. III, p. 149: Καὶ γὰρ καθ' Ὅμηρον ἢ πρὸ αὐτοῦ μικρὸν λέγουσι τὴν τῶν Κιμμερίων ἔφοδον γενέσθαι τῶν μεχρὶ τῆς Αἰολίδος καὶ τῆς Ἰωνίας. Cf. I, p. 6. XII, p. 573. Quanquam de hac re sunt qui dubitent; cf. C. Fr. Hermann. Lehrbuch der griech. Staatsalterth. §. 78 n. 18.

16) Cf. Beck, de Orosii historici fontibus et auctoritate. Marb. 1832. §. 3.

17) Oros. I, 21 p. 79 Haverc. Hoc loco res refertur ad annum tricesimum, et in nonnullis editt. ad decimum tertium ante U. c., eandem autem rem esse, quam Eusebius narrat, itaque ad trecentesimum fere ante U. c. annum referendam, non solum hujus rei ipsius cum Eusebii loco consensus, sed id quoque evincit, quod apud Orosium eadem res, quae apud Eusebium, Peloponnesiorum contra Athenienses bellum, arcte cum ea conjuncta est. [Haec scripta erant, quum eandem esse vidi sententiam Scaligeri ad Euseb. p. 59. Clinton. Fast. Hell. I, p. VIII censet, Orosium veterem Cimmeriorum incursionem cum posteriore, quae triginta ante U. c. annis facta sit, confudisse. At illo tempore talem factam esse, aliunde non constat!]

18) Strab. XI, p. 494: Οὗτοι δ' εἰσὶν οἱ τοὺς τὴν μεσογαίαν οἰκοῦντας ἐν τοῖς δεξίοις μέρεσι τοῦ Πόντου μεχρὶ Ἰωνίας ἐπιδραμόντες. Τούτους μὲν οὖν ἐξήλασαν ἐκ τῶν τόπων Σκύθαι.

riis prope mare fugientibus Scythae in Mediam invaserunt, ubi Cyaxari Ninum oppugnanti superveniebant [19]); Cimmerii autem Ardye regnante in Asiam pervenerunt et Sardes occuparunt [20]), duce Lygdami [21]). Nini obsidionem illam primis Cyaxaris regis annis fuisse credibile est, quum mortem Phraortis patris, qui contra Ninum bellum gerens caesus erat, ulcisci vellet; regnavit autem Cyaxares ab Olymp. XXXVI, 3 usque ad Ol. XLVI, 3. Ardys, quo in Lydia regnante Cimmerii Sardes occupasse dicuntur, imperium tenuit ab Ol. XXV, 3 usque ad XXXVII, 4. Itaque apparet, Cimmerios et Scythas, quum ante Ardyis obitum et paullo post Cyaxaris regni primordium in Asiam irruperint, exeunte Ol. XXXVI vel Ol. XXXVII advenisse [22]). Diversus ab hoc incursu is esse possit, quo Mydas, Phrygiae rex, commotus esse videtur, ut sanguine taurino epoto vitae finem imponeret [23]), id quod Eusebius Ol. XXI, 2 factum esse tradit.

---

19) Herod. I, 103. IV, 12; cf. I, 6. 15. 73. Baehr. ad I, 6. Hinc etiam corrigendus esse videtur Strabonis locus I, p. 61, sive is per Strabonis ipsius sive per librarii errorem corruptus sit, ubi Μάδυς initio quidem ὁ Σκυθικὸς dicitur, paullo post autem haec verba sequuntur: Πολλάκις δὲ καὶ οἱ Κιμμέριοι καὶ οἱ Τρῆρες ἐποιήσαντο τὰς τοιαύτας ἐφόδους· τοὺς δὲ Τρῆρας καὶ Κῶβον ὑπὸ Μάδυος τὸ τελευταῖον ἐξελαθῆναί φασι τοῦ τῶν Κιμμερίων βασιλέως. Simul hic locus docet, supra, ubi vulgo Κώβου τοῦ Τρωὸς scribebatur, restituendum esse Τρῆρος, quod in uno cd. exstat.

20) Herod. I, 15.

21) Lygdamin, quem Sardes cepisse Strabo (I, p. 61), Epheso imminuisse Callimachus (Hymn. in Dian v. 251 sqq.) auctor est, ad hunc maxime Cimmeriorum incursum referendum esse, docet Plut. Vit. Mar. c. 11, cum Herodoto comparatus.

22) Clinton. (l. c. p. 202) Cimmerios Sardes occupasse Ol. XXXVI, 2, Scythas insecutos esse postero anno censet. Eusebius quoque Ol. XL, 1 Scythas in Palaestinam usque incursionem fecisse tradit.

23) Str. I, p. 61: ποτὲ μὲν ἐπὶ Παφλαγόνας, ποτὲ δὲ καὶ Φρύγας ἐμβαλόντες, ἡνίκα Μίδαν αἷμά τι ταύρου πιόντα φασὶν ἀπελθεῖν εἰς τὸ χρέων. Quae diversis locis Strabo

Jam quaeritur, quomodo iis, quae de Cimmeriorum et Trerum in Asiam incursibus tradita sunt, ad Strabonis locum explicandum et ad aetatem Callini constituendam uti possimus. Callinum e Strabonis loco apparet mentionem fecisse Cimmeriorum sua aetate in Asiam invadentium, ubi Sardium expugnationem eum spectare Strabo dicit; cui rei clariorem lucem offundit alius Strabonis locus [24]), ubi haec exstant: *Φησὶ δὲ Καλλισθένης ἁλῶναι τὰς Σάρδεις ὑπὸ Κιμμερίων πρῶτον, εἶθ᾽ ὑπὸ Τρήρων καὶ Λυκίων, ὅπερ καὶ Καλλῖνον δηλοῦν, τὸν τῆς ἐλεγείας ποιητήν· ὕστατα δὲ τὴν ἐπὶ Κυροῦ καὶ Κροίσου γενέσθαι ἅλωσιν. Λέγοντος δὲ τοῦ Καλλίνου τὴν ἔφοδον τῶν Κιμμερίων ἐπὶ τοὺς Ἡσιονῆας γεγονέναι, καθ᾽ ἣν αἱ Σάρδεις ἑάλωσαν, εἰκάζουσιν οἱ περὶ τὸν Σκήψιον Ἰαστὶ λέγεσθαι Ἡσιονεῖς τοὺς Ἀσιανεῖς. τάχα γὰρ ἡ Μῃονία φησὶν Ἀσία ἐλέγετο* [25]). Praeterea ipsius Callini fragmentum exstat huc pertinens [26]), quo Trerum, quos Callisthene auctore Sardes cepisse dixerat, mentio fit. Sed in ipso Callisthenis loco quaeritur, utrum verba *ὅπερ καὶ Καλλῖνον δηλοῦν* ad alteram sententiae partem solam, an ad primam quoque sint referenda. Si cui illa sententia placeat, ita ut Trerum incursum solum Callinus memorasse dicatur, statuendum erit, Strabonem, quum paullo post de Cimmeriis loquatur, et Callinum ipsum, in cujus reliquiis et Cimmeriorum et Trerum nomen exstat, his verbis promiscue usos esse, id quod fieri potuisse nemo negabit, quum Strabo non solum illo ipso loco, de quo agimus, sed alio etiam [27]) Treres Cimmericam gentem appellaverit, et ubique Cimmerios Treresque ita inter se conjungat, ut diversae ejusdem populi

---

attingit, exscripsit et cuncta ad Cimmeriorum incursum Homeri aetate factum retulit Eustath. ad Odyss. *λ'*, p. 1671.

24) Str. XIII, p. 627.

25) Cf. Steph. Byz. *Ἡσιονία*. Hesych. *Ἡσιονεῖς*.

26) Steph. Byz. *Τρῆρος, χωρίον Θρᾴκης, καὶ Τρῆρες Θρᾴκιον ἔθνος. λέγεται καὶ τρισυλλαβῶς παρὰ Καλλίνῳ τῷ ποιητῇ· Τρήρεας ἄνδρας ἄγων* — Cf. Bach. ad Call., p. 32.

27) I, p. 61.

partes esse videantur, quanquam aliis locis Treres Thracica gens fuisse dicuntur [28]), ubi Thracum nomen latiore sensu videtur accipiendum esse, quum idem Strabo eosdem Treres Thracibus *συνοίκους* tantum fuisse dicat [29]). Strabo igitur ex hac explicatione duas diversas fuisse Trerum incursiones arbitraretur, alteram priorem, quâ Sardes occupatae sint, alteram posteriorem, qua Magnesia deleta. At ne opus quidem est, ut ad promiscuum usum confugiamus, qua in explicatione male nos habet, Strabonem, postquam Callisthenis locum, in quo Cimmerii a Treribus distinguuntur, in medium protulit, statim Cimmeriorum nomine alio sensu usum esse; immo omnia optime quadrant, ubi verba illa ad utramque rem pertinere ponimus, itaque ii loci, quibus Callinus Cimmeriorum mentionem fecisse dicitur, ad eam Sardium expugnationem, quam Callisthenes primo loco ponit, is, ubi Treres ille commemoravit, ad eam, quam Callisthenes secundo loco exhibet, referendi videntur, inter utramque autem non multum temporis interfuisse apparet. Utracunque vero explicatio praeferatur, inter Trerum in Sardes irruptionem et Cyri occupationem nullam intercessisse e Callisthenis loco manifestum est, itaque, quum ea, quam supra Ardyis aetate accidisse vidimus, ex Herodoti narratione et ipsa ultima ante Cyri occupationem fuerit, dubitari non posse videtur, quin eadem a Callino commemorata sit, et *Callinus sub Olymp. XXXVI vixerit.* Strabonem vero, qui ipse Callisthenis loco utitur, quum tacite ab ejus sententia discessisse verisimile non sit, et ipse Callinum ad Ardyis aetatem retulisse putandus est. Summa igitur rei eadem est, sive hanc sive illam explicationem praeferas, sed optime omnia hoc modo explicari videntur: Bis Sardes occupatae sunt Callini aetate, primum a Cimmeriis, deinde a Treribus, arcte cum illis conjunctis, quare Herodotus eos ab illis non

28) Steph. Byz. l. c Strab. XIII, p. 586: *τὰ δ' ἑξῆς Θρῆρες καὶ οὗτοι Θρᾶκες.*

29) I, p. 59: *οἱ δὲ καὶ Τρηρῶν ὡς συνοίκων τοῖς Θραξὶν ὄντων.*

separavit; utraque res a Callino commemorata est, qui de ipso Trerum contra Jonicas urbes accessu locutus esse videtur, quanquam interitum Magnesiae ab iisdem Treribus deletae nondum attigerat. Recte igitur Cimmeriorum incursionem πρεσβυτέραν dicit Strabo, neque vero multo post Sardes occupatas Magnesiae interitum eum posuisse, siquidem recte ejus sensum explicavimus, Archilochi aetas docet, quem hac de re mentionem injecisse arbitrabatur, ita ut haud temere Clemens Alexandrinus Callinum non multo ante Archilochum floruisse dicat. Utraque autem res referenda est ad illud duodetriginta annorum spatium, quo Cimmeriorum catervae Asiam tenebant[30]). Ceterum facile concedimus, Strabonem Cimmericam irruptionem in aetate paullo priore, quam a nobis factum est, posuisse, id quod propter Archilochi aetatem probabile est[31]).

Etenim quum ex iis, quae disputavimus, Magnesiam non ante Olymp. XXXVII a Treribus deletam esse appareat, Archilochum tamen ad hunc usque annum vivere non potuisse supra viderimus[32]), fieri non potuit, ut Magnesiae interitum commemoraret; unde versum, ad quem Strabo provocat, ad aliam rem spectare probabile est, id quod eo majore jure sumere licet, quum Strabonis sententiam in conjectura positam esse versus ipse, in quo accuratior malorum illorum significatio non inest, doceat. Magnesiae

30) Herod. I, 16. Cimmerios ex Asia expulsos esse tradit ab Alyatte, qui regnavit ab Ol. XL, 4 usque ad LV, 2; Scythae a Cyaxare oppressi sunt, postquam per duodetriginta annos Asiam tenuerant (cf. Her. I, 106), itaque sub Ol. XLIII, et eodem fere tempore Cimmeriis idem accidisse verisimile est.

31) De Strabonis loco eandem esse gaudeo Od. Muelleri sententiam, expositam in historia literarum Graecarum in Anglorum usum scripta, quam manu scriptam inspiciendi venia mihi data erat. Treres tamen a Cimmeriis ex Asia expulsos esse, e Strabonis verbis, de quibus n. 19 egimus, colligit. Ceterum his locis non commotus est vir doctissimus, ut Archilochum Callino priorem fuisse statueret.

32) Cf. Franck. Call. p. 95.

calamitatem proverbii locum obtinuisse, Suidas affirmat [33]), idem ex aliis locis apparet; nam et Theognis [34]) superbiam Magnetibus perniciem paravisse, et Athenaeus [35]), ubi de iis, qui luxuria famam sint assecuti, loquitur, etiam Magnetes huic causae perniciem debere tradit: Ἀπώλοντο δὲ καὶ Μάγνητες οἱ πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ διὰ τὸ πλέον ἀνεθῆναι, ὥς φησι Καλλῖνος ἐν τοῖς ἐλεγείοις καὶ Ἀρχίλοχος· ἑάλωσαν γὰρ ὑπὸ Ἐφεσίων. Magnesia igitur non tam propter excidium, quod aliis quoque urbibus accidit, quam ideo in proverbii usum venisse videtur, quod luxuria et superbia in ruinam processerat, quanquam Theognis, ubi de superbia loquitur, simul plebem ultra jura sua progressam et in optimates grassantem significare solet; attamen non solum utramque rem conjunctam fuisse probabile est, sed etiam Theognidem hanc maxime malorum causam dicere, ex ejus consuetudine satis explicatur. At magnum scrupulum Athenaei locus injicit, ubi Ephesii Magnesiam occupasse, neque Archilochus solus, sed Callinus etiam perniciei mentionem fecisse dicuntur. Qua de re sic habendum esse videtur: Archilochum illius rei testem fuisse, Athenaeus ipse profecto solo versu illo, quo Strabo utitur, nisus tradit, quum, si accuratior Archilochi locus exstitisset, Strabo eum non praetermisisset; Callinum de Magnesiae excidio locutum esse, credibile non est, quum Strabo ad Callini aetatem constituendam ea ipsa re, quod Magnetes florentes ille noverit, uti non potuisset, si idem interitus mentionem fecisset; praeterea ab Ephesiis Magnesiam captam esse, e sua tantum

---

33) Suid. s. v. Μαγνήτων κακά Juliani locum (Orat. VII, p. 394) exhibet, quo Magnetum mala componuntur cum Termeria calamitate, (de qua v. Plut. Thes. 11. Jacobs. Anthol. Pal. p. 663, quos Passovius s. v. laudat) et reliquis, de quibus poetae loquantur; idem s. v. τὰ Μαγνήτων κακὰ ea ita explicat: ἐπὶ τῶν μεγίστων καὶ ἀλγεινοτάτων κακῶν· πάροσον οὗτοι ἀσεβήσαντες εἰς θεὸν πολλῶν κακῶν ἐπειράθησαν.

34) Theogn. v. 721 sq. Welcker. (603 Bekker.) 723 sq. W. (1103. B.)

35) Athen. XII, p. 525, C.

opinione, Archilochi Callinique auctoritate non confirmata, Athenaeus addit. Nisi igitur Athenaeum prorsus falsa proferre et haec scribentem dormitasse sumere velis, concedendum est, eum de alia re loqui eaque priore, quam et Callinus commemoraverit et Archilochus respexerit; quae res quo tempore facta sit, accurate decerni nequit; saepius tamen bella inter Ephesios et Magnetes gesta esse, veteres scriptores tradunt [36]. Neque vero necesse est de bello mala illa accipi; forsitan ad ipsam luxuriam superbiamque et perturbationes inde natas referenda sunt, quae conjectura magnam nancisceretur probabilitatem, si in Archilochi versu scribere liceret οὐ τὰ Μαγνήτων κακά, quum de Thasi calamitate, neque vero excidio Archilochus compluribus locis mentionem fecerit [37].

Si vera sunt, quae diximus, Archilochus Callinum aetate antecessit; sed in diversas partes Viros Doctos discedere videmus, quorum adhuc pauci Callinum illa demum aetate vixisse sibi persuaserunt, plerique ad antiquiora tempora referunt. Et summae quidem antiquitati Franckius [38] eum tribuit. Strabonis et Athenaei locos inter se repugnare contendens duas fuisse grammaticorum partes ait, quarum altera, quae Callinum elegiae inventorem duceret, eodem argumento, quo Strabo et Clemens, usa sit, altera, quae ab Archilocho eam inventam censeret, ad ea provocaverit, quae Athenaeus tradat. Quum vero Franckius ipse ante Trerum incursum Magnetes ab Ephesiis magna clade affectos esse concedat [39], non est cur Athenaeum hac de re cogitare potuisse negemus; neque enim id obstat, quod ἀπολέσθαι

36) Aelian. V. H. XIV, 46. Hermipp. apud Diog. La. I, 11, 4. Cf. etiam Hermann. Lehrbuch cit. §. 77. n. 24. — Gyges quoque Magnesiam ceperat, siquidem, Herodoto tacente, Nicolao Damasceno fides est habenda. Cf. Franck. Call. p. 113 sq. De Magnetum excidio, quod Plinius attingit, v. infra.

37) Frg. LXXXVII et LXXXVIII. Liebel.

38) Callin. p. 89—117.

39) Pag. 92.

Magnetes dicit, quum etiam Ephesiorum expugnatio Magnetibus perniciei esse posset. Neque inde, quod τὰ Μαγνήτων κακὰ in Archilochi versu proverbii instar usurpentur, ideoque ad calamitatem ingentem spectent, ad Treres ea referenda esse sequi vidimus. Omnino autem tenendum est, Athenaeum aut vera tradere aut per errorem labi; si vera tradit, ejus narratio iis, quae e Strabonis loco patent non in conjecturis sed in certis argumentis posita, repugnare nequit, itaque aliam rem spectat; sin falsa, eum ne curemus. Ipse autem Fr. concedit, si ad Ardyis regnum Callini aetas referenda esset, Archilochum antiquiorem esse habendum [40]). Aliud argumentum e Tyrtaei aetate sumtum, quem cognita habuisse Callini carmina manifestum sit, nunc quidem non licet accuratius persequi; id tantum moneamus, Tyrtaeum non eo tempore, quo plerique arbitrantur, sed nonnullis Olympiadibus post vixisse videri [41]); neque tamen Franckio concedere possumus, Tyrtaeum, siquidem Callini carmina nosset, multo juniorem esse oportuisse. Ea quoque, quae e carminum Callini et Tyrtaei comparatione colligit, et quorum maxima pars arbitrio nititur, nunc perscrutari longum est; ipse majorem vim tribuit aliis argumentis, et ad Callisthenis verba transit, quae sane iis, qui Callinum multo ante Archilochum vixisse contendunt, summam difficultatem opponunt; qua ita se expedit Franckius, ut locum corrigendum esse judicans verba ὅπερ καὶ Καλλῖνον δηλοῦν post vv. ὑπὸ Κιμμερίων πρῶτον ponenda, itaque ad primam Cimmeriorum incursionem spectare dicat [42]), quam circa Homeri tempora fuisse arbitratur. Ad eandem rem pertinere ait, quae de Lygdami traduntur, qui quum in Cilicia exstinctus esse dicatur, alterius catervae, quam Herodotus ab Alyatte ex Asia expulsam esse narret, dux esse non potuerit. At cur non

---

40) Pag. 92. 93. 95 sq.

41) Quae hac de re placent, alio loco enucleate exponenda erunt. Nunc. cf. Mueller. Dor. I, p. 150. II, p. 490, cui frustra obloquitur Clinton. I, p. 251 sqq.; adde Krebs. lectt. Diodor. p. 253 — 255.

42) Pag. 111.

potuerunt Lygdamis ipse et Cimmeriorum pars in Cilicia perire, reliqui ex Asia expelli? Nam in diversas catervas dissipatas fuisse illas gentes, quae non conjuncta acie pugnarent, sed hic illic raperent et oppida everterent, minime a talium populorum moribus abhorret. Nullum autem esse argumentum, quod ejus loci, e quo tota disputatio pendet, mutationem defendat, quicunque artem criticam non in arbitrio ponunt, concedent. Plinii loci [43]), ad quos denique confugit Franckius, quibus de Magnetum excidio ante Candaulem sermo est, siquidem auctoritas iis tribuenda sit, ad ipsam illam rem referri possint, cujus Athenaeus mentionem fecit, quum *Magnetum excidium* et *Magnetum proelium*, quod Plinius dicit, non ad urbis eversionem spectare, sed pugna ipsa pictura efficta esse videatur. Sed quaeritur, an Plinius erraverit et forsitan alium nescio quem Candaulem cum Lydorum rege confuderit, quum talem picturam tam antiquo tempore factam esse — mortuus est Candaules Ol. XVI, 1 — artis historiae non convenire videatur [44]). Quid autem quod negat Franckius Magnesiam ab ea Cimmeriorum turba, quae sub Ardye Asiam occupasse dicitur, potuisse everti, quum Cimmeriis nondum fugatis per sex annos a Sadyatte et deinceps per proximos quinque ab Alyatte Milesii vexati sint, itaque non potuerint, quod Strabo eos fecisse dicit, Magnetum agrum occupare? At si Magnesia Ardye etiamtum regnante deleta est, cur non potuerint Milesii? et si sub Alyatte demum id factum est, is quoque sexto demum regni anno bellum contra Milesios suscepit [45]). Quod autem Cimmerii tum etiam in Asia vagabantur, id

43) Plin. Hist Nat. VII, 38: *Candaules rex Bularchi picturam Magnetum excidii mediocris spatii pari rependit auro.* — Ibid. XXXV, 8, 34: *Quid, quod in confesso perinde est, Bularchi pictoris tabulam, in qua erat Magnetum proelium, a Candaule, rege Lydiae Heraclidarum novissimo, repensam esse auro.*

44) Cf. Mueller. Handbuch der Archaeologie. §. 74. p. 52 ed. II. Adde Burettum in Mém. de l'Acad. des Inscr. T. V, p. 254.

45) Herod. I, 18; cf. c. 16.

Milesios impedire non poterat, quo minus urbe deleta potirentur, quum Cimmerii urbes non tenuisse occupatas, sed in transcursu tantum diripuisse dicantur [46]).

Talibus argumentis usus Franckius Callinum proximum fuisse Homero et vel ante Hesiodum vixisse contendere ausus est, maxime loco illo, quem ipse sibi constituit, fretus. Tantam audaciam jure improbavit Bachius [47]), qui tamen ipse Callisthenis auctoritatem non minus negligit. E Plinii locis colligit, Magnesiam Candaule regnante a Treribus deletam esse, itaque Callinum jam ante Candaulis imperium vixisse; Orosii loco, quem supra vidimus errorem continere, accuratius ejus aetatem definiri posse arbitratur, ita ut ab Olympiadum primordiis haud procul remota habenda sit. Ad Callisthenis locum quod attinet, inter secundam et tertiam Sardium expugnationem quartam esse inserendam dicit, ab illo nescio quam ob causam omissam, sed ab Herodoto memoriae mandatam; quum Cimmerii sive Treres saepius in Asiam impetus fecerint, facile accidere potuisse, ut Callisthenes eam Sardium occupationem, in qua acropolim non cepissent, aut prudenter aut imprudenter praeteriret. At quid Callisthenem commovere poterat, ut hanc rem praeteriret, ubi de Sardibus captis in universum loqueretur? aut quomodo oblivisci poterat ejus, quae ab Herodoto descripta esset? Et quod Cimmerii saepe in Asiam impetus fecisse dicuntur, inde non sequitur, eos saepius etiam, quam Callisthenes tradit, Sardes cepisse.

Eandem fere sententiam jam ante Bachium professus erat Souchaeus [48]), qui et ipse Orosii loco ad definiendam Callini aetatem utitur, et multi eam probaverunt, inter re-

---

46) Her. I, 6, ubi καταστροφὴ non est *eversio*, sed *occupatio*, ut saepius.

47) Callini Ephesii, Tyrtaei Aphidnaei, Asii Samii carminum quae supersunt. Lips. 1831. p. 6—17.

48) Mém. de l'Acad. T. VII, p. 365.

centiores etiam Passowius [49]), Boeckhius [50]) et Ulricius [51]). Clintonus [52]), qui ignotum esse dicit, quam rem Callini versus spectet, Magnesiam autem jam ante Candaulis mortem deletam esse e Plinii locis colligit, Callinum floruisse arbitratur ab Olymp. XI usque ad Ol. XVII, novis argumentis non usus. Bernhardyus [53]) quoque sub Ol. XVII eum ponit.

Fuerunt etiam, qui eadem via, qua nos, procederent, quorum primus est Dodwellius [54]), qui ad Clementis verba provocans Archilochum Simonidi Ceo aequalem reddit, quum ea de Simonide Amorgino accipienda sint, qua in re quanquam magnopere erravit, recte tamen sensit, omnes locos ita tantum conciliari posse, ut Callinus sub Ardyis imperio ponatur. Boettigeri [55]) idem de aetate Callini judicium est, quippe dicentis, sub annum 680 eum floruisse; simul autem eum elegiam invenisse arbitratur. Eadem fere Thierschii [56]) sententia est, Archilochum, qui Gyge regnante vixerit, potuisse Ardyis tempora attingere et Sardes expugnatas videre, contra Callinum, qui Sardes sub Ardye captas sciverit, potuisse jam Gygis aetate carmina condere. Attamen haec ambigua esse dicit, id tantum exploratum, Callinum et Archilochum aetate suppares Gyge et Ardye Lydis imperantibus vixisse inter Olymp. XVI et XXXVI. Unam tantum Cimmeriorum fuisse irruptionem eamque Ardyis aevo, ab Herodoto memoratam, idem censet. — Censor libri a Bachio conscripti [57]) et ipse Callinum sub Ardye vixisse ait, eadem fere disputandi ratione usus, quam nos secuti sumus, nisi quod ne Strabonis quidem sententiam multum a vera abhor-

---

49) Grundzüge der Griech. und Röm. Litt. — und Kunstgesch. p. 7.
50) De metris Pind. p. 272. cf. 176.
51) T. II. p. 263. seq.
52) T. I, p. 173.
53) L. c. I, p. 515.
54) Exercit. II de aetate Pythag. p. 109 sq.
55) Att. Mus. I, 2, p. 338.
56) Act. phil. Monac. III, p. 569 sqq., inprimis p. 573.
57) Hall. Allgem. Lit. Ztg. 1832. Ergänz. Bl. N. 8. p. 61—64.

rere non intellexit, et eam explicationem amplexus est, e qua Trerum et Cimmeriorum nomina promiscue usurpata sunt. Plinii locos ad Ephesiorum expugnationem refert, Archilochum sub Ol. XX, Callinum sub Ol. XXXVI floruisse censet.

CAPUT V.

De vera distichi elegiaci origine et usu.

Quum Archilochum ante Callinum floruisse ostendisse nobis videamur, et alterutri elegiae inventio tribuenda sit, dubitari nequit, quin Archilochus verus inventor sit habendus. Neque mirari licet, qui factum sit, ut multi Callino idem tribuerent, quum uterque eadem fere aetate vixerit, et quantum ab accuratiore rerum, quae ad illos pertinent, cognitione abfuerint posteriorum temporum scriptores, e tota disputatione eluceat. Tantum autem fuisse numerum eorum, qui in Callini partes perduci se paterentur [1]), ex ipsis illis causis, quibus Strabo sententiam suam probare studet, explicatur, quibus accedit, quod Callinum, qui elegiaco genere solo excellebat, majorem inde gloriam assecutum esse, quam Archilochum, qui inter tot alia carminum genera huic quoque operam dabat, consentaneum est, eademque causa est, cur

1) Franckio (p. 27 sq.) Aristarchus et Aristophanes Byzantius Callinum elegiae inventorem dixisse videntur, quod tamen e Procli judicio non sequitur. Plerique grammatici de Callino et Archilocho certari dicunt, uter plurimorum assensum ferat, non tradentes (Mar. Vict. III, p. 2555. Orion. Theb. p. 58. Etym. Gud. ἔλεγος); Callinum Terent. M. v. 1722 prae ceteris nominat, et aperte eum inventorem appellat Schol. Cic. l. c. Archilochum praeterea exhibent Mar. Vict. IV, p. 2589. Plut. d. Mus. p. 1141, A.

Archilochi nomen nonnullis locis inter poetas elegiacos non exstet [2]). Quod temporum ratione certum esse videtur, Archilochum primum disticho elegiaco usum esse, aliis etiam rebus confirmatur, neque id, quod dicere aliquis possit, propter ipsam in componendis metris gloriam ea etiam ei tributa esse, quae ab aliis essent profecta, concedere possumus. Probe enim tenendum est, pentametrum nihil esse nisi penthemimerim dactylicam, quam vocant, duplicatam, qua de re veteres metrici scriptores plerique consentiunt [3]); penthemimeris ipsa autem ab Archilocho primo ita usurpata est, ut ea hexametro adjecta epodus efficeretur [4]), itaque, quum nihil probabilius esse possit, quam distichum elegiacum, in quo penthemimeris duplicata est, post epodicam illam formam ortum esse, neminem ante eundem Archilochum disticho usum esse perspicuum est. Neque igitur recte se habere videtur, quod plerique dicunt [5]), hexametrum cum pentametro conjunctum primum epodum et stropham effecisse. At alii aliter de natura pentametri judicant, duas syllabas in medio versu positas conjungentes, ita ut ex trimetro dactylico catalectico in dissyllabum et dimetro anapaestico compositus esse videatur, quam versus metiendi rationem et ipsam antiqui metrici nonnulli probaverunt [6]). Quantopere tamen ea pentametri naturae adversetur, res ipsa evincit, et inde quoque apparet, quod veteres ipsi in medio pentametro majus esse silentium sive prosthesin docent [7]), qua efficitur,

2) Proclus ejus mentionem non fecerat, unde pendere videtur Grammat. Bibl. Coisl. p. 597.

3) Aristid. p. 51 extr. Heph. p. 92. Schol. ad. Heph. p. 186. Drac. Strat. p. 162. Schol. ad Dion. Thr. p. 749. alii. Cf. Santen. l. c. p. 288.

4) Hephaest. p. 39; cf. Schol. p. 176. Schol. Arist. Nubb. 274. Terent. Maur. v. 1807. Diomed. p. 514. Plot. p. 2640. Cf. Liebel. Archil. rel. p. 27 seq.

5) Hermann. Elem. doctr. metr. p. 670 sq. Boeckh. d. metr. Pind. p. 272.

6) Cf. Terent. Maur. v. 1757 sqq. Santen. ad h. l. Schol. Heph. p. 186.

7) Quintil. Instit. Or. IX, 4, 98. Augustin. d. Mus. IV, 13. 19. Cf. Boeckh. l. c. p. 77.

ut post primi ordinis finem vocabulum terminandum sit. Neque ii, qui recentissimis temporibus egregie de his literis meruerunt, hac de re dubitant [8]). Quae quum ita sint, jure meritoque dicere possumus, pentametrum ex hexametro esse ortum, quandoquidem ejus elementa in hexametro posita sunt, neque ipse sine hexametro usurpari potest. Reperiuntur quidem pentametri cum hexametris non conjuncti, qui tamen non magis veram hujus metri naturam declarant, quam alia mutatio, qua Dionysius Atheniensis, qui ὁ Χαλκοῦς appellabatur, pentametrum ante hexametrum posuit [9]): sunt illi vel poetarum inferioris aetatis, vel omnino non inter poemata referendi [10]). Quamobrem concedi non potest, penthemimerim unquam per se solam esse positam, quam Osannus [11]) antiquissimam threnorum formam fuisse arbitratur; cujus conjecturae nulla causa sufficiens exstat, nam quod threnorum Pindaricorum reliquias in fine versuum saepe hanc formam exhibere dicit, id nihil valet, quum in threnis non saepius trimeter dactylicus catalecticus reperiatur, quam in aliis carminibus, quibus dactylicus numerus est [12]). Quomodo factum sit, ut, qui primus elegiacos versus componeret, hoc potissimum metro uteretur, accurate explicari nequit; quodam enim modo recte dici potest, id in poetae arbitrio positum fuisse, quum necessitati in his rebus nonnisi is locus

8) Hermann. l. c. p. 356. Boeckh. p. 176.

9) Heracl. Pont. apud Athen. XIII, p. 602, C. Cf. Osann. Beiträge. I, p. 86. Welcker. Rh. Mus. IV, p. 441.

10) Illius generis exempla exhibent Vossius Inst. Poet. III, 14, 16. Welcker. Syll. Epigr. p. 257; alterius generis sunt versus, qui exstant in Hipparcho Platonico. p. 228; cf. Welcker. l. c. tit. 117. p. 153.

11) L. c. pag. 23. E grammaticorum appellatione ἰαμβέλεγος nihil aliud colligi posse videtur, nisi vocis ἔλεγος abusus. Osanno obloquitur etiam G. H. Bode in Gött. Gel. Anz. 1837. N. 51. p. 498.

12) Cf. e. g. Olymp. III. str. v. 1. 3. epod. v. 4. VI. str. v. 1. epod. v. 1. 4. 5. 6. Pyth. str. v. 1. 4. epod. v. 2. 7. Hymn. frg. 1, v. 1. 4. frg. 4. v. 2. frg. 6. Paean. frg. 10. Dithyr. frg. 5. Prosod. frg. 1, v. 13. En habes omnium generum exempla, quae augere taedet, quum ubique in promtu sint.

sit, quem omnino in humani generis mutationibus tenet; neque humanae mentis leges adeo sunt exploratae, ut ultimos cogitationum fontes indagare concessum sit [13]). — Easdem ob causas et quod pentametri origo a lugubribus primordiis non videtur repetenda esse, neque eorum sententia placet, qui e formula quadam in lamentationibus usitata pentametri formam explicare student [13*]).

At, siquidem ab Archilocho carmen elegiacum originem ducit, nonne confirmatur id, quod multos contendere vidimus, elegias initio lugubres fuisse, quum Archilochum talia carmina metro elegiaco fecisse fragmenta docere videantur? Etenim apud Stobaeum [14]) exstant versus, quibus cives naufragio perditos deplorat, et Plutarchus eum sororis maritum, qui in undis perierat, deplorasse tradit et nonnullos hujus generis versus servavit [15]). Quid igitur? Nonne hinc luce clarius apparet, elegiae initio lugubria fuisse argumenta? Quum fragmenta illorum carminum relicta sint, ex ipsis judicare licet. Et in eo quidem, quod apud Stobaeum exstat, non tam lamentantem quam ad mala placido atque aequo animo ferenda et querelas abjiciendas exhortantem poetam audimus, et magis etiam ejus mores ad luctum comparatos non esse Plutarchi [16]) vituperatio docet, quod vino et jocis

---

13) Recte etiam Welcker. Rh. Mus. IV, p. 426: *Eine Vermuthung über Bildung und Entwickelung rhythmischer Formen ist erlaubt; eigentlich nachzuweisen aber ist die Entstehung natürlicher Gebilde nicht.*

13*) Ut Welckerus et Hermannus. V. supra p. 14.

14) Floril. CXXIV, 30. Frg. XLVIII. Liebel.

15) D. audiend. poet. c. 6: *Ὅταν δὲ τὸν ἄνδρα τῆς ἀδελφῆς ἠφανισμένον ἐν θαλάττῃ καὶ μὴ τυχόντα νομίμου ταφῆς λέγῃ θρηνῶν, μετριώτερον ἂν τὴν συμφορὰν ἐνεγκεῖν.* Quare Bachius inter lugubrium elegiarum poetas Archilochum primum edidit.

16) Plut. l. c. c. 12: *Πάλιν δ᾽ Ἀρχίλοχος οὐκ ἐπαινεῖται λυπούμενος μὲν ἐπὶ τῷ ἀνδρὶ τῆς ἀδελφῆς διεφθαρμένῳ κατὰ θάλασσαν, οἴνῳ δὲ καὶ παιδιᾷ πρὸς τὴν λύπην μάχεσθαι διανοούμενος.*

luctum propter sororis maritum mortuum pellere studuerit. Itaque lugubrem illorum carminum indolem non fuisse, etiamsi occasio, quae eorum materiam daret, lugubris esset, res ipsa docet, nec quidquam magis ab Archilochi ingenio alienum fuisse tristitia et curis, ex hoc luculentissimo exemplo apparet [17]. Quare non tam temerarium, quam Bachius [18] arbitratur, Franckii [19] judicium esse videtur, Archilochum querula ac lugubria carmina voluisse scribere negantis, quum in tanta calamitate tanta levitate loquatur. Neque in his solis carminibus Archilochus disticho elegiaco usus est, sed alia etiam ejusdem exstant fragmenta, quae bellicas et politicas, quin etiam amatorias et lasciviores res [20] continent, ita ut inde, quod lugubria etiam disticha pepigit, non id, quod illi volunt, sed nihil colligi possit nisi elegiacam formam multis iisque diversis rebus aptam fuisse. Et hoc quidem universa carminis elegiaci historia confirmatur, quam qui persequatur, in qualiscunque argumenti carminibus huic metro locum esse putare possit. Nihilo minus necessarium est, omnium commune quiddam fuisse, quod efficeret, ut hoc potissimum metro componerentur. Quid igitur dicamus commune istud vinculum fuisse, in quo interna elegiae notio posita esset?

Vetus grammaticus [21] id poeseos genus, quod διηγηματικὸν appellat, quatuor speciebus constare ait, epica, iambica, elegiaca et melica, quarum ceterae quidem suam quaeque formam habebant, melica variis uti poterat metris. Epicam, elegiacam et iambicam poesin Jonicam, melicam

17) Recte hoc etiam perspexit Schneidewin. in Gött. Gel. Anz. 1836 Nr. 177.

18) D. lug. eleg. Spec. I, p. 7 sq.

19) Call. p. 36 sq. Cf. etiam Ulrici. II, p. 102. n. 195: *Auch Archilochus elegische Fragmente, die man etwa hierher rechnen möchte, wenn sie auch threnetische Elemente enthalten, sind doch keine eigentlichen Klaglieder, sondern mehr aufmunternde Trostgesänge.* Cf. ibid. p. 187.

20) Athen. XIII. p. 594. D. Frg. LVII. Liebel.

21) Procl. ap. Phot. cod. 239.

vel Doricam vel Aeolicam dialectum sibi vindicasse, constans bonorum poetarum usus docet, unde quod facile conjicere licet, illa genera Jonum maxime, hoc Doriensium et Aeolum proprium fuisse, id confirmatur, ubi singulorum poetarum rationes persequimur. Et elegiaci quidem poetae (ut reliquos nunc mittamus), qui primis temporibus hoc metro usi sunt, re vera inter Jones sunt referendi, ut Archilochus Parius, Simonides Amorginus, Asius Samius, Callinus Ephesius, Mimnermus Colophonius, neque Solo obstat Atheniensis, neque Tyrtaeus, qui, si non Milesius [21*]), Atheniensis certe erat; quanquam ab eorum inde aetate ad reliquas quoque gentes elegiacum carmen transiit terminosque tantopere propagavit, ut plerique poetae parvam ei certe operam darent. Itaque non nugari nobis videmur, elegiacum poema Jonum proprium esse dicentes [22]); neque id, quod de singulis hominibus apud Graecos recte se habere vidimus, non posse eundem variis carminum generibus pari eventu operam dare, a gentium moribus abhorret, quae suum quaeque poeseos genus excoluerunt [23]). Simul vero tenendum est, non solum formae sed argumenti etiam ratione habita elegiam ab epico poemate secessisse, et pertinere ad id genus, quod, ne pluribus utamur verbis, lyricum dicere liceat [24]), et quo poeta sua persona non dissimulata ex suo ipsius animo et suo nomine quae ipsum commovent declarat, id quod carmina

---

21*) Cf. maxime Welcker. der epische Cyclus. p. 376 sq.

22) Consentiunt hac de re recentiores plerique; ita Passow. (Grundzüge p. 78) de genere ionico-elegiaco loquitur; pariter Ulricius (v. inprimis II, p. 98 sqq.) et Bernhardyus (I, p. 84. al.)

23) Cf. Bernhardy. l. c. p. 30. 114.

24) Vetat quidem Bernhardyus (p. 117; cf. Hall. Lit. Ztg. 1836. Erg. Bl. N. 114), ne hoc modo Graecam poesin dividamus; quum vero Plato (de Rep. III, p. 392 D.; cf. 394 C.) et Aristoteles (Poet. c. 3 init.) tria illa genera inter se distinguant, quae in recentioribus quoque literis secernuntur, nisi quod non iisdem nominibus, quae nunc in usu sunt, utuntur, nobis quoque argumenti ratione habita epicam poesin lyricae universae opponere licet. Et Franckium quoque non res ipsa, sed nomen solum male habuisse videtur (Call. p. 15 sq.)

ipsa docent. Attamen carminibus Jonum lyricis non haec forma sola erat, sed iambi etiam et trochaei et metrici ordines e diversis generibus compositi, ita ut diversis in diversis argumentis uterentur metris; nam quum elegia ad epicum maxime genus se adjungeret, iambi in irridendis hominum vitiis et in ira conviciis effundenda, trochaei initio in gravioribus severioribusque rebus versabantur, quanquam mox iambis uti coeperant poetae in rebus a majore animi concitatione alienis, ita ut ad pedestrem magis accederent orationem. Sed haec omnia genera, quibus Jones utebantur, a ceteris carminibus lyricis non forma sola, sed ea ipsa re, quae arcte cum formae diversitate cohaeret, distinguuntur, quod Jonum sunt propria, quum illa vel Doriensium sint vel Aeolum, e quarum gentium moribus omnis dissimilitudo explicatur. Etsi enim hae formae liberiores sunt versu epico, tamen ultra simplicitatis cujusdam fines non egrediuntur, quum Doricorum et Aeolicorum poetarum, qui communi nomine melici dicuntur, id ipsum proprium sit, quod majore libertate in dissecandis componendisque metris fruuntur; eademque argumentorum causa est, quae pariter atque externa forma pro diversa gentium natura diversa erant; nam licet Jonum carmina non minus quam melica proprias poetarum sententias exprimerent, et materiam ex ipsorum rationibus repeterent, elegia tamen longe abest a perturbatione atque fervore animi in Aeolicis carminibus conspicuo, abest quoque a Deorum cultu et ab iis rationibus, quae e propria Doricae civitatis Doricorumque morum natura originem ducebant.

Neque vero sola gentium diversitas variorum generum causa est, sed ea ipsa cum temporum etiam diversitate convenit. Primi enim Jones Asiatici ingenia adeo excoluerant et quasi emancipaverant, ut lyricae poesi operam dare possent. Itaque forma, qua utebantur, arctissime cum epica conjuncta erat et ex ea ipsa processit; nam quum carminibus, quae non in rebus epico more describendis versabantur, sed quidquid animum movebat, declarabant, hexameter simplex sufficere non videretur, primus hexametri ordo in fine

vel Doricam vel Aeolicam dialectum sibi vindicasse, constans bonorum poetarum usus docet, unde quod facile conjicere licet, illa genera Jonum maxime, hoc Doriensium et Aeolum proprium fuisse, id confirmatur, ubi singulorum poetarum rationes persequimur. Et elegiaci quidem poetae (ut reliquos nunc mittamus), qui primis temporibus hoc metro usi sunt, re vera inter Jones sunt referendi, ut Archilochus Parius, Simonides Amorginus, Asius Samius, Callinus Ephesius, Mimnermus Colophonius, neque Solo obstat Atheniensis, neque Tyrtaeus, qui, si non Milesius [21*]), Atheniensis certe erat; quanquam ab eorum inde aetate ad reliquas quoque gentes elegiacum carmen transiit terminosque tantopere propagavit, ut plerique poetae parvam ei certe operam darent. Itaque non nugari nobis videmur, elegiacum poema Jonum proprium esse dicentes [22]); neque id, quod de singulis hominibus apud Graecos recte se habere vidimus, non posse eundem variis carminum generibus pari eventu operam dare, a gentium moribus abhorret, quae suum quaeque poeseos genus excoluerunt [23]). Simul vero tenendum est, non solum formae sed argumenti etiam ratione habita elegiam ab epico poemate secessisse, et pertinere ad id genus, quod, ne pluribus utamur verbis, lyricum dicere liceat [24]), et quo poeta sua persona non dissimulata ex suo ipsius animo et suo nomine quae ipsum commovent declarat, id quod carmina

---

21*) Cf. maxime Welcker. der epische Cyclus. p. 376 sq.

22) Consentiunt hac de re recentiores plerique; ita Passow. (Grundzüge p. 78) de genere ionico-elegiaco loquitur; pariter Ulricius (v. inprimis II, p. 98 sqq.) et Bernhardyus (I, p. 84. al.)

23) Cf. Bernhardy. l. c. p. 30. 114.

24) Vetat quidem Bernhardyus (p. 117; cf. Hall. Lit. Ztg. 1836. Erg. Bl. N. 114), ne hoc modo Graecam poesin dividamus; quum vero Plato (de Rep. III, p. 392 D.; cf. 394 C.) et Aristoteles (Poet. c. 3 init.) tria illa genera inter se distinguant, quae in recentioribus quoque literis secernuntur, nisi quod non iisdem nominibus, quae nunc in usu sunt, utuntur, nobis quoque argumenti ratione habita epicam poesin lyricae universae opponere licet. Et Franckium quoque non res ipsa, sed nomen solum male habuisse videtur (Call. p. 15 sq.)

ipsa docent. Attamen carminibus Jonum lyricis non haec forma sola erat, sed iambi etiam et trochaei et metrici ordines e diversis generibus compositi, ita ut diversis in diversis argumentis uterentur metris; nam quum elegia ad epicum maxime genus se adjungeret, iambi in irridendis hominum vitiis et in ira conviciis effundenda, trochaei initio in gravioribus severioribusque rebus versabantur, quanquam mox iambis uti coeperant poetae in rebus a majore animi concitatione alienis, ita ut ad pedestrem magis accederent orationem. Sed haec omnia genera, quibus Jones utebantur, a ceteris carminibus lyricis non forma sola, sed ea ipsa re, quae arcte cum formae diversitate cohaeret, distinguuntur, quod Jonum sunt propria, quum illa vel Doriensium sint vel Aeolum, e quarum gentium moribus omnis dissimilitudo explicatur. Etsi enim hae formae liberiores sunt versu epico, tamen ultra simplicitatis cujusdam fines non egrediuntur, quum Doricorum et Aeolicorum poetarum, qui communi nomine melici dicuntur, id ipsum proprium sit, quod majore libertate in dissecandis componendisque metris fruuntur; eademque argumentorum causa est, quae pariter atque externa forma pro diversa gentium natura diversa erant; nam licet Jonum carmina non minus quam melica proprias poetarum sententias exprimerent, et materiam ex ipsorum rationibus repeterent, elegia tamen longe abest a perturbatione atque fervore animi in Aeolicis carminibus conspicuo, abest quoque a Deorum cultu et ab iis rationibus, quae e propria Doricae civitatis Doricorumque morum natura originem ducebant.

Neque vero sola gentium diversitas variorum generum causa est, sed ea ipsa cum temporum etiam diversitate convenit. Primi enim Jones Asiatici ingenia adeo excoluerant et quasi emancipaverant, ut lyricae poesi operam dare possent. Itaque forma, qua utebantur, arctissime cum epica conjuncta erat et ex ea ipsa processit; nam quum carminibus, quae non in rebus epico more describendis versabantur, sed quidquid animum movebat, declarabant, hexameter simplex sufficere non videretur, primus hexametri ordo in fine

tanquam clausula additus est, quo iterato magis etiam numerus claudi et quasi rotundari videbatur; neque igitur dicere licet, distichum elegiacum e forma epica quasi corrugatum esse [25]), immo ea amplificata est. Nulla enim causa est, cur initio singula disticha sola posita esse statuamus [26]), quum in antiquissimis carminibus potius ita sint comparata, ut arctissime inter se cohaereant et saepissime in numeri fine orationis orbis non claudatur. — Pari modo argumenti ratione habita lyricum Jonum poema ex epico originem duxit. Nam antequam hominum ingenia ad eam libertatem pervenerunt, ut quaecunque animum commoveant, forma ad artis praecepta revocata exprimere possint poetae, non solam animorum inflammationem quandam sequentes, sed ipsis animi affectibus non sine mentis cogitatione aptam formam quaerentes [27]): epicum poema solum exstat, quod lyrica elementa in se continet, ita tamen, ut personis, quae describuntur, non ipsi poetae tribuantur, et hoc modo lyrici poematis germina nutrit et alit, donec ipsum nullo adjuvante adminiculo per se stare possit. Hoc sensu dici potest lyricum carmen ex epico prodire; neque vero opus est ut aetates et secula praeterirent, antequam ab altera ad alteram formam transire posset; sed ubi semel initium factum esset, mirum non est, multas novas brevi temporis spatio metrorum componendorum rationes inventas, et lyricam poesin tam variam esse factam, quam vita ipsa esset. Hymnos Homericos recte quidem dicunt lyrici aliquid in se continere, neque tamen eos inter poema heroicum et elegiacum medios interponi licet, quum elegiacis carminibus cum iis nullae sint similitudines; immo elegia initio quidem ad carmen

25) Ut Bernhardyus arbitratur pag. 84. 263.

26) Haec Osanni (p. 16) sententia est. At recte Welckerus (l. c. p. 427) hoc idem esse dicit, ac si initio singulos hexametros factos esse contendere velis.

27) Cf. Ulrici. II, p. 111, qui recte etiam Jones primos poematis lyrici auctores fuisse dicit. Eo minus alio loco (p. 129) choricam Doriensium poesin in initio ponere debebat.

heroicum ipsum maxime accedebat, quanquam Archilochus, quem forsitan vel ultra Graecorum mores progressum esse et pro eximio, quo praeditus erat, ingenio aetatem suam praecurisse dicere possis, magis etiam quam reliqui suas ipsius rationes curabat; quae res et ipsa in causa esse videtur, cur eo neglecto multi Callinum, cujus poemata plus etiam epici tenoris continerent et ei ratione, qua illa maxime aetate elegia tractari solebat, magis responderent, carminis elegiaci auctorem praedicaverint. — Post elegiae initia demum secuti sunt Dorici et Aeolici poetae, qua in re non minus quam in universa Graecorum vita conspicuum est, quantopere apud eos omnia recta via processerint atque exculta sint.

Sed ut ad elegiae solius rationem et progressum pedem referamus, consentaneum est, eam, siquidem Jonum poesis lyrica recte appellatur, omnia ea genera in se recipere, quae ex Jonum indole et moribus originem ducere possent, neque aliter procedere ac temporum ratio ferret. Sed hanc ipsam ob causam non videntur laudandi esse, qui varia genera, bellicum, politicum, historicum s. heroicum, gnomicum, amatorium inter se distinguunt; nam si constare sibi velint, multo plura etiam genera iis proferenda erunt [28]), neque contendere licet, singulos ad singula genera poetas esse referendos [29]), licet nonnullorum fragmenta, quae quidem aetatem tulerunt, ad singula tantum genera pertineant; et sicut melicum poeseos genus non pro argumenti diversitate in diversas partes dividitur, quoniam in eo manifestum est,

---

28) Cf. Osann. l. c. p. 32.

29) Recte Welckerus [Rh. Mus. III, 1, p. 143 not. **)]: *Die meisten lyrischen Dichter haben sich in einem weiteren Kreise geregt, und die eine Art, wodurch viele der älteren allberühmt geworden sind, hat oft die andern Arten in Vergessenheit zu bringen viel beigetragen, so dass jede Spur mannigfaltigerer Dichtung im Allgemeinen die Wahrscheinlichkeit für sich hat, und nicht durch die Gegenüberstellung der hundertfach wiederholten Erwähnung der Hauptgattung eines Dichters in Nachtheil gesetzt werden sollte.* Modo ne extra gentium fines egrediamur.

eosdem poetas variis argumentis operam dedisse, ita in elegiaco quoque genere idem tenendum esse videtur. Alios alia genera maxime excoluisse, ex ipsorum temporum ratione explicandum est, itaque ea divisio sola locum habet, quae cum temporum mutatione convenit. Quam rem accuratius persequi non est hujus loci; de universa tamen elegiaci carminis historia hoc monendum est: Jonicarum civitatum quum per septimum ante Chr. n. seculum ea esset ratio, ut multis bellis turbarentur, haec ipsa maxime carminum materiam praebebant, cujus vestigia etiam apud Mimnermum reperiuntur, quanquam ille propter publicarum rerum imbecillitatem, ut videtur, quum civitates Jonicae vix contra majorem Lydorum potestatem se sustinerent, ad privatas magis res se convertebat, et mollitiem, non minimam debilitatis illius causam, in carminibus quoque non dissimulabat. Interea in Europa quoque Tyrtaeus, Solo, Theognis in externis intestinisque turbis disticho elegiaco utebantur; in Simonide Ceo magis conspicua est Asiatica dulcedo et mollities, ita ut cum Mimnermo potius quam cum iis, qui in Europa ante eum floruerant, cohaerere videatur. Et hac quidem aetate factum esse videtur, ut carmina hexametris pentametrisque composita ἐλεγεῖα dicerentur, quum threni jam hoc maxime metro includi coepissent. Quod a quonam poeta primo factum sit, certo definiri nequit. Ulricius jam Mimnermum distichis elegiacis carmina lugubria composuisse ait, sed licet carmina ejus queruli aliquid habeant, ita ut ad illud genus magis accedere dici possint, tamen veros threnos eum composuisse nemo veterum tradidit, et nomus auloedicus, quem cecinisse fertur, quo modo comparatus fuerit, incertum est. Sed si non jam ante Simonidem, at ab eo ipso certe threneticum argumentum hoc metro inclusum est [30]), idque illa aetate maxime in usu fuisse, inde etiam probatur, quod ipse Simonides de tali carmine cum Aeschylo certasse dicitur [31]),

---

30) Primus hoc ostendit Franck. Call. p. 67 — 75.
31) V. supra. p. 31. sq.

praeterea Euripidis exemplo, qui elegiaco metro in Andromachae querelis utitur [32]). Minus placet ex epigrammatis usum illum explicare [33]), quum dubium sit, num epigrammata saepius sepulcris inscripta quam alios in usus adhibita sint [34]), et vix contendi possit, initio lugubria maxime ea fuisse; etiamsi enim antiquis jam temporibus epitymbia elegiaca fuerint, quaeritur tamen, num eorum usus tam vulgatus fuerit, ut inde potius quam ab alio quolibet argumento forma nomen acciperet. Neque id, quod ἐλεγεῖον singulari numero distichum significat, nomen ab epigrammate, quod uno disticho constaret, repetendum esse probat, siquidem μέτρον supplendum est. Optime eo modo, quo diximus, res explicatur, neque opus est, ut cum Ulricio propter nominum similitudinem veterum nemorum, quibus ἔλεγοι nomen erat, similem fuisse numerum statuamus, quum illi ex ipso argumento et usu lugubri nomen duxerint; nam proprie quidem ἐλέγων nomen ad argumentum, non ad formam spectare certum est. Et in hanc quoque sententiam cadit, non satis explicari, qui factum sit, ut veteres illi poetae, in quorum carminibus prima distichi elegiaci vestigia exstant, eodem metro uterentur, quod proprie e lugubrium cantuum numero originem duceret; quos nonnisi per vim quandam cum Mimnermo, qui metrum ad proprium usum revocaverit, conjungi apparet. — Illa autem maxime aetate distichum ἐλεγεῖον esse appellatum eo convincitur, quod Theognidis certe aetate carmina elegiaca ἔπη dicebantur, paullo post Simonidem autem Thucydides illo nomine distichum notabat. Neque praetermittendum est, Herodotum nunquam eo nomine uti, licet et Solonis carmen elegiacum et Simonidis epigrammata saepius commemoret, unde forsitan colligere possumus, illa aetate nondum ubique id in usu fuisse [35]).

---

32) Eurip. Androm. v. 103—116.

33) Ita Schneider. (p. 47) et Bach. (p. 1110), qui nomen initio de epigrammate lugubri usurpatum, tum ad alia epigrammata et formam universam transiisse censet.

34) Cf. Bernhardy. in Hall. Lit. Ztg. l. c. p 901.

35) Non obstant sententiae nostrae Draconis verba (p. 161): Τὸ ἐλε-

Ad hanc usque aetatem elegia non praeter naturam progressa erat; postea ad alias quascunque res ea uti coeperunt viri, quorum poetica laus non magna erat; denique in Alexandrinorum manus abiit, ad quos Antimachus transitum facit amatorio et lugubri genere conjuncto, mortem Lydes amatae lugens. Alexandrini amatoriis elegiis maxime operam dabant, quod argumentum quum eorum animos vero quodam ardore excitaret, factum est, ut in hoc genere magis quam in aliis excellerent. Hoc autem potissimum metro usi esse videntur non solum propter simplicitatem, quum metricam melicorum carminum compositionem ne perspicerent quidem, sed etiam quod Aeolicorum poetarum carmina nonnisi ipsorum ingenio summo fervore concitato apta essent. Neque enim ex ulla re magis, quam ex amatoriorum carminum comparatione apparet, quid discriminis intercedat inter melicam poesin et elegiam, quae semper animi tranquillitatem quandam et simplicitatem retinet. Ex eadem ejus natura gnomica, quam dicunt, explicatur indoles, universo carmini elegiaco tribuenda [36]). Certum enim gnomicum elegiae genus, cui plerique haud parvum locum tribuunt, nullum esse videtur [37]); quodsi ii poetae gnomici dicuntur, qui praecepta a fabulis separarent seorsimque ex-

---

γεῖον μέτρον παρωνόμασται ἀπὸ τοῦ ἐλέγου, ὃ σημαίνει παρ' Ἀττικοῖς τὸν θρῆνον . . . εἰώθασι γὰρ χρῆσθαι τούτῳ ἔν τε θρήνοις ἐπιταφίοις καὶ ἐπιγράμμασι. Franckius (p. 47) extrema verba corrigenda esse censet ἔν τε θρήνοις καὶ ἐπιταφίοις ἐπιγράμμασι: recte; quod vero spuria ea esse arbitratur, nullo argumento nititur. Quod Draco dicit ab Atticis θρῆνον dictum esse ἔλεγον, ex Aristophanis et Euripidis locis collegisse videtur, sed Atticorum non peculiarem fuisse hunc usum, manifestum est. Nihilo minus quod in iisdem verbis inesse videtur, ab Atticis maxime metrum ἐλεγεῖον esse appellatum, forsitan non prorsus est negligendum.

36) Recte Bachius (d. lug. eleg. spec. II, p. 4 extr.): *Gnomica enim omnis fere elegia est, et politica et lugubris et erotica et symposiaca et heroica.*

37) Cf. Passow. in Jahn. Jahrbb. 1826. I, 1, p. 153.

colerent poesin ethicam [38]), illud quidem in omnes, hoc in neminem fere e poetarum elegiacorum numero cadere videtur. Nam omnes elegiarum poetas praecepta edere et fragmenta docent et ex carminis hujus natura consentaneum est, quanquam non parvis sententiis ea includunt, sed majoribus carminibus intexunt, et licet parva tantum fragmina nobis sint servata, ea tamen e majoribus carminibus excerpta esse videntur [38*]).

Restat tandem, ut videamus, qualis musica carminum elegiacorum ratio fuerit. Solonis carmina et quae ejusdem essent generis non eo modo cum instrumentis musicis conjuncta fuisse, quo melica carmina, quae sine illis esse non poterant, ex Athenaei loco [39]) apparet, ubi Xenophanes, Solo, Theognis, Phocylides, Periander melodiam carminibus non addidisse dicuntur. Posterioribus demum temporibus non solum Homeri, sed praeter alia Archilochi etiam et Mimnermi et Phocylidis carmina a rhapsodis melicorum carminum modo decantabantur [40]). Xenophanem quoque

38) V. Thiersch. d. gnom. carm. Graec. in Act. philol. Mon. III, 3, p. 391—414. fasc. 4, p. 569—586. Cf. maxime p. 391.

38*) G. H. Bodius in Goett. Gel. Anz. 1837. N. 50, p. 494 sq. cum multis aliis elegiam eam animi affectionem exprimere arbitratur, quae dolore vel desiderio vel timore efficiatur, itaque hanc formam ibi reperiri, ubi animus ita temperatus in singulis hominibus vel in universo populo insit. Cui opinioni quae opponenda sint, tota disputatio docet; quod carmina bellica huc refert, ea, quantum ex ipsis fragmentis colligere licet, hunc tenorem non exhibebant, et quomodo quaeque inscriptio ex animo ita comparato prodire dici possit, non intelligitur.

39) Athen. XIV, p. 632, D. V. supra p. 51. n. 59.

40) Athen. XIV, p. 620, C: *Χαμαιλέων δ' ἐν τῷ περὶ Στησιχόρου καὶ μελῳδηθῆναί φησιν οὐ μόνον τὰ Ὁμήρου, ἀλλὰ καὶ τὰ Ἡσιόδου καὶ Ἀρχιλόχου, ἔτι δὲ Μιμνέρμου καὶ Φωκυλίδου.* Causa non est, cur cum Bernhardyo (p. 279) Athenaeum inconsiderate *μελῳδηθῆναι* scripsisse pro *ῥαψῳδηθῆναι* statuamus. Cf. Eustath. ad Iliad. p. 1497: *Ἦν δὲ τοιοῦτος καὶ ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος, ὃς πρῶτος εἰς θέατρον παρήγαγέ φασι ῥαψῳδοὺς τοὺς καὶ Ὁμηρίστας καλουμένους, οἳ ἐμελῴδουν τὰ Ὁμήρου καθάπερ ἄλλοι τὰ Ἡσιόδου*

Ad hanc usque aetatem elegia non praeter naturam progressa erat; postea ad alias quascunque res ea uti coeperunt viri, quorum poetica laus non magna erat; denique in Alexandrinorum manus abiit, ad quos Antimachus transitum facit amatorio et lugubri genere conjuncto, mortem Lydes amatae lugens. Alexandrini amatoriis elegiis maxime operam dabant, quod argumentum quum eorum animos vero quodam ardore excitaret, factum est, ut in hoc genere magis quam in aliis excellerent. Hoc autem potissimum metro usi esse videntur non solum propter simplicitatem, quum metricam melicorum carminum compositionem ne perspicerent quidem, sed etiam quod Aeolicorum poetarum carmina nonnisi ipsorum ingenio summo fervore concitato apta essent. Neque enim ex ulla re magis, quam ex amatoriorum carminum comparatione apparet, quid discriminis intercedat inter melicam poesin et elegiam, quae semper animi tranquillitatem quandam et simplicitatem retinet. Ex eadem ejus natura gnomica, quam dicunt, explicatur indoles, universo carmini elegiaco tribuenda [36]). Certum enim gnomicum elegiae genus, cui plerique haud parvum locum tribuunt, nullum esse videtur [37]); quodsi ii poetae gnomici dicuntur, qui praecepta a fabulis separarent seorsimque ex-

---

γεῖον μέτρον παρωνόμασται ἀπὸ τοῦ ἐλέγου, ὃ σημαίνει παρ' Ἀττικοῖς τὸν θρῆνον . . . εἰώθασι γὰρ χρῆσθαι τούτῳ ἔν τε θρήνοις ἐπιταφίοις καὶ ἐπιγράμμασι. Franckius (p. 47) extrema verba corrigenda esse censet ἔν τε θρήνοις καὶ ἐπιταφίοις ἐπιγράμμασι: recte; quod vero spuria ea esse arbitratur, nullo argumento nititur. Quod Draco dicit ab Atticis θρῆνον dictum esse ἔλεγον, ex Aristophanis et Euripidis locis collegisse videtur, sed Atticorum non peculiarem fuisse hunc usum, manifestum est. Nihilo minus quod in iisdem verbis inesse videtur, ab Atticis maxime metrum ἐλεγεῖον esse appellatum, forsitan non prorsus est negligendum.

36) Recte Bachius (d. lug. eleg. spec. II, p. 4 extr.): *Gnomica enim omnis fere elegia est, et politica et lugubris et erotica et symposiaca et heroica.*

37) Cf. Passow. in Jahn. Jahrbb. 1826. I, 1, p. 153.

colerent poesin ethicam [38]), illud quidem in omnes, hoc in neminem fere e poetarum elegiacorum numero cadere videtur. Nam omnes elegiarum poetas praecepta edere et fragmenta docent et ex carminis hujus natura consentaneum est, quanquam non parvis sententiis ea includunt, sed majoribus carminibus intexunt, et licet parva tantum fragmina nobis sint servata, ea tamen e majoribus carminibus excerpta esse videntur [38*]).

Restat tandem, ut videamus, qualis musica carminum elegiacorum ratio fuerit. Solonis carmina et quae ejusdem essent generis non eo modo cum instrumentis musicis conjuncta fuisse, quo melica carmina, quae sine illis esse non poterant, ex Athenaei loco [39]) apparet, ubi Xenophanes, Solo, Theognis, Phocylides, Periander melodiam carminibus non addidisse dicuntur. Posterioribus demum temporibus non solum Homeri, sed praeter alia Archilochi etiam et Mimnermi et Phocylidis carmina a rhapsodis melicorum carminum modo decantabantur [40]). Xenophanem quoque

---

38) V. Thiersch. d. gnom. carm. Graec. in Act. philol. Mon. III, 3, p. 391 — 414. fasc. 4, p. 569 — 586. Cf. maxime p. 391.

38*) G. H. Bodius in Goett. Gel. Anz. 1837. N. 50, p. 494 sq. cum multis aliis elegiam eam animi affectionem exprimere arbitratur, quae dolore vel desiderio vel timore efficiatur, itaque hanc formam ibi reperiri, ubi animus ita temperatus in singulis hominibus vel in universo populo insit. Cui opinioni quae opponenda sint, tota disputatio docet; quod carmina bellica huc refert, ea, quantum ex ipsis fragmentis colligere licet, hunc tenorem non exhibebant, et quomodo quaeque inscriptio ex animo ita comparato prodire dici possit, non intelligitur.

39) Athen. XIV, p. 632, D. V. supra p. 51. n. 59.

40) Athen. XIV, p. 620, C: *Χαμαιλέων δ' ἐν τῷ περὶ Στησιχόρου καὶ μελῳδηθῆναί φησιν οὐ μόνον τὰ Ὁμήρου, ἀλλὰ καὶ τὰ Ἡσιόδου καὶ Ἀρχιλόχου, ἔτι δὲ Μιμνέρμου καὶ Φωκυλίδου.* Causa non est, cur cum Bernhardyo (p. 279) Athenaeum inconsiderate *μελῳδηθῆναι* scripsisse pro *ῥαψῳδηθῆναι* statuamus. Cf. Eustath. ad Iliad. p. 1497: *Ἦν δὲ τοιοῦτος καὶ ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος, ὃς πρῶτος εἰς θέατρον παρήγαγέ φασι ῥαψῳδοὺς τοὺς καὶ Ὁμηρίστας καλουμένους, οἳ ἐμελῴδουν τὰ Ὁμήρου καθάπερ ἄλλοι τὰ Ἡσιόδου*

ipsum carmina sua ῥαψῳδῆσαι Diogenes Laertius tradit [41]), quanquam vix aliud quid sibi voluisse videtur, nisi eum didactica sua carmina recitasse [42]). Sed etiamsi forsitan illa carmina prorsus a tibiis abfuerint, inde non sequitur, a lugubribus et amatoriis elegiis et ipsis tibias alienas esse; immo in universum statuendum esse videtur, si res ipsa et argumentum ferret, tibiarum sonum elegiarum cantum esse prosecutum, ita ut consentaneum sit, eas et in threneticis carminibus et in amatoriis, quae cum comissationibus conjuncta erant, locum habuisse, et maxime in iis omnibus, quae in epulis cantari solebant, unde satis explicatur, in symposiacis, quae inter Theognidea referuntur, carminibus saepe inveniri illud ὑπ᾽ αὐλητῆρος ἀείδειν, et eundem Theognidem juvenes Cyrnum suum ad tibiarum cantum esse celebraturos dicere [43]).

καὶ Ἀρχιλόχου καὶ ἑτέρων. — Recte Kreuserus (Homer. Rhaps. p. 137. cf. p. 304) dicere videtur, de citharae cantu in illis locis cogitandum esse, modo ne eam causam addidisset, quod λυρικοὶ soli sint μελοποιοί.

41) Diog. La. IX, 18: ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐῤῥαψῴδει τὰ ἑαυτοῦ.

42) Cf. Ulrici. II, p. 442.

43) Theogn. 869 v. Welcker. 241. Bekker. Neque igitur jure dixisse Bodium (l. c. p. 500 sq.), elegiam omnium carminum minime conviviis aptam esse, res ipsa docet, quanquam verum esse videtur, carmina certe non omnia, quibus Osannus ad symposiacum genus constituendum usus est, eo consilio a poetis condita esse, ut in epulis canerentur.

THESES.

I.

Alcmanem poetam sub Olymp. XLII (XLIV) floruisse, error est scriptorum inferioris aetatis; multo minus cum Muellero (Dor. II, p. 355 ed. Angl.) ad Olymp. XLVII referendus est. Floruit sub Ol. XXVII vel XXX, quae diversitas ab Ardyis regno pendet. Ceterum Periz. ad Ael. V. H. XII, 50 recte conjecit: *καὶ Ἀλκμᾶνα αὖ, Λυδὸς γὰρ ἦν.*

II.

Rhapsodorum nomen nonnisi a v. *ῥάπτειν* derivari potest.

III.

Evenus poeta elegiacus Socrati aequalis idem est, quem Eratosthenes *νεώτερον* et *μόνον γνωρίζεσθαι* dixerat.

IV.

Quatuor fuerunt Lacedaemoniorum contra Messenios bella, quorum primum certe post Ol. XI finitum, alterum non ante Ol. XXX, tertium tempore pugnae Marathoniae, quartum sub Ol. LXXIX gestum est.

V.

Spartani apud Thucydidem Homoei, Lacedaemonii inferior civium pars non sunt, neque Lacedaemonii sunt perioeci, neque vero promiscue haec nomina ponuntur, sed Spartanorum nomen semper emphasin habet.

VI.

Plat. d. Rep. IV, p. 399, D. recte se habet codicum lectio: *ἢ οὐ τοῦτο πολυχορδότατον καὶ αὐτὰ τὰ παναρμόνια αὐλοῦ τυγχάνει ὄντα μιμήματα.*

VII.

In Aristotelis verbis (Poet. c. 4): *τῶν μὲν οὖν πρὸ Ὁμήρου οὐδενὸς ἔχομεν εἰπεῖν τοιοῦτον ποίημα,* non inest, omnino nullum carmen Homero antiquius dici posse.

VIII.

Centuriae apud Romanos cum tribubus conjunctae sunt inter primi belli Punici finem et alterius initium.

IX.

Post centuriarum cum tribubus conjunctionem LXX centuriae fuerunt, attamen classes non desierunt.

X.

Tacit. Ann. II, c. 77 recte se habet codicis lectio: *quem justius arma oppositurum, qui legati* etc.

XI.

Linguarum indo-germanicarum comparatio philologiae classicae, quam vocant, minime est negligenda.



CORRIGENDA.

Pag.	16.	lin.	32.	leg.	Wirklichkeit.	
„	22.	„	6.	„	tibiam	
„	23.	„	21.	„	usurpata	
„	26.	„	27.	„	Coraio	
„	26.	„	29.	„	Göttling	
	Ibid.				αἶ αἶ	
„	31.	„	32.	„	et hoc	
	Ibid.			adde comma post usum		
„	35.	„	11.	leg.	curemus	
„	60.	„	25.	del.	punctum post συμφοράν	
„	60.	„	32.	leg.	Magnetes.	

23 — 24

25

26

27

517

74 — 2 —

5 — 3

4

3. a. W.

